This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Natalibus, ingenio, Doctrinâ, atque omni virtutum genere conſpicuis viris

D. Joanni
D. Hieron. Petro
D. Bonaventuræ
D. Arnoldo
D. Matthiæ Fred.

ab Overbeke.

Dominis ac fautoribus ſuis

S.

FAcit affectus erga vos meus, atque inde à teneris inter nos contracta familiaritas, ut audeam vobis offerre has typographici

 mei

mei laboris primitias, tenues quidem illas, fateor, & nullâ ratione pares vel veſtris de me meritis, aut meæ erga vos officioſiſſimæ voluntati; ſatis tamen, ut opinor, ſuperque eas vobis commendabit præter offerentis conditionem animumque ipſa operis materies, & rerum, de quibus agitur, varietas. Etenim ita naturâ ipsâ comparatum eſt, ut quò quiſque generoſior eſt, eò in ſtudia antiquitatis feratur magis, aveatque ſcire, quid proximis, quid ſuperioribus ſeculis vel in uſu apud ſuos fuerit, aut receptum ab exteris ſit. Et miſera profectò, nec brutorum animantium ſorte multò melior conditio hominum eſſet, ſi nulla præteritorum aut futur

cura

cura, vitam alioqui ſatis brevem & moleſtam, inter ſolos præſentis fortunæ cancellos tranſigeremus. quin is mihi demùm ingenui hominis nomine tituloque dignus videtur, qui omnem totius univerſi hiſtoriam animo complectitur: cujus cùm res Romanæ quoddam quaſi exemplar atque compendium ſint; facilè, meo quidem judicio apparet, non pœnitendos eum in civili vitâ progreſſus feciſſe, qui illius populi ritus moreſque probè cognitos habuerit. Ac de his quidem ego tantò nunc brevius ago, quod ſciam illis vos animi, illis fortunæ dotibus inſtructos eſſe, ut nemo, quantum hæc res momenti ſit, vobis rectius intelligat, aut

 di-

dijudicet melius. Ut taceam ea familiæ veſtræ, ea parentis piæ mem: veſtri in ſtudia, & rem literariam beneficia extare, ut hominis ſtolidi, & plus juſto ſibi tribuentis ſit ea vobis velle commemorare, quorum amor & notitia unà cum ipſo ſanguine paterno vobis quaſi adnata congenitaque videri poterat. Unum tantum reſtat, ut Deus ter opt. Max. vos, univerſamque adeo familiam veſtram promovendis meis aliorumque honeſtis conatibus quàm diutiſſimè ſalvam incolumemque conſervet, id quod ex animo precatur & vovet is, qui vos ut amicos honoratiſſimos veneratur & colit

ANDREAS FRISIUS.

TY-

TYPOGRAPHUS LECTORI.

CIacconii de tricliniis, tractatum, unà cum FulvI Urſini appendice tibi damus, opus elegans ſanè, & variæ plenum eruditionis; ſed quod eandem fortunam ſubiit, quam experiri ſolent; qui in negligentes typographorum manus incidunt libelli. Etenim ut ea mittam, quæ fugere etiam oculatiſſimos poſſunt, in recentioribus editionibus non verba tantum, ſed integræ quandoque lineæ ſuo loco motæ, totuſque adeo contextus non parum inter turbatus erat: quæ omnia fide antiquorum codicum & reſtituimus diligenter, & ne quid iſtiuſmodi huic

no-

noſtræ editioni accideret, caVimus ſeduló. Quia autem in adumbrandis nonnullis rebus oppidò infelix eloquentia eſt, niſi arte juvetur; dedimus operam, ut quicquid verbis repreſentari ab authore per rei naturam minus dilucidè potuit, aut conferre ad antiquitatis notitiam videbatur, id æri inciſum oculis ſubjiceremus: ut jam conqueri de rei obſcuritate niſi planè ſtupidus nemo poſſit. Sunt autem ea, quæ aliunde deſumpta, huic noſtræ editioni recens inſeruimus ferè hæc: Materia nimirum acroamatum, Mimi, Moriones, Gladiatores, Saltatores, Balnei figura ejuſque utenſilia. Strigiles Item, Guttique, nec non vaſa tam Aretina, quàm Unguentaria, cum Po-

culis,

tulis, inſtrumentiſque Harmonicis, quorum frequens apud veteres uſus fuit, & nota inter eruditos figura. *Atque hæc omnia eâ modeſtiâ & claritate inſerta ſunt huic operi, ut & ſuis ſingula authoribus tribuantur, & noſtra à Ciacconi, & Urſini verbis, diverſitate typi, & hac variationis notâ* ⁂ *ſecernantur.*

Porrò, quia accumbendi in cenis antiquorum originem, ritumque HIERONYMUS MERCURIALIS *brevius aliquantò, ſed non minore eruditionis famâ proſequutus eſt; ex re viſum fuit etiam hanc tanti viri diſſertationem propter argumenti affinitatem huic operi ſubjungere, ſervatâ eâdem, quam ex* PATAVINO *marmore expreſſit*

Tri-

Triclinii ſigurâ: cujus lacunas & defectum ita Ciacconius ſupplevit, ut ferè aliam reddidiſſe videatur. Nos utrique ſuam adſignavimus.

Atque hæc ſunt, benigne lector quæ ſcire tua quammaximè intererat. Cætera cur operoſius proſequamur cauſæ nihil eſt, quando omnis noſtra ambitio non alio tendit, quàm ut tibi inſerviamus. Vale & fave, ut eâdem alacritate tibi quamprimum Magium de tintinnabulis, & de Equuleo ſuppeditandi nobis accreſcat animus.

PE-

PETRI CIACCONII TOLETANI

DE TRICLINIO

Sive de modo convivandi apud Priſcos Romanos.

Et de conviviorum apparatu.

LOcus, in quo Romani olim cibum ſumebant, *cenaculum* vocabatur. Varro libro IV. de linguâ Latinâ. de priſcis Romanis: *Ubi cubabant* inquit, *cubiculum*: *ubi cenabant, cenaculum vocitabant*. Dicebatur & *cenatio*. Seneca Epiſtolâ XCI. libro XIV. *Non enim tecta cenationi epulum recepturæ parabantur*, & Paulò poſt. *Utrum tandem ſapientiorem putas, qui verſatilia cenationum laquearia ita coagmentat; ut ſubinde alia facies atque alia ſuccedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur: an eum, qui & aliis & ſibi hoc monſtrat, quàm nihil*

A *nobis*

nobis natura durum, ac difficile imperaverit? Suetonius de domo aureâ Neronis: *Cenationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, ut flores fiſtulatim, & unguenta deſuper ſpargerentur. Præcipua cenationum rotunda, quæ perpetuò diebus ac noctibus vice mundi circumageretur.* Demum vocabulo à Græcis mutuato *triclinium* apellabatur. Cicero ad Atticum libro XIII. epiſtolâ L. *Cùm ſecundis Saturnalibus ad Philippum veſperi veniſſet, villa ita completa militibus eſt, ut vix triclinium, ubi cenaturus ipſe Cæſar eſſet, vacaret.* & Vitruvius libro. VI. capite V. *Tricliniorum*; inquit, *quanta latitudo fuerit, bis tanta longitudo fieri debet.* & eodem libro capite X. Suetonius etiam in Tiberio: *Ac Miſeni cinis è favillâ & carbonibus ad calefaciendum triclinium illatus.* Quò magis mirandum eſt, Servium eruditiſſimum grammaticum negare, *triclinium* cenationem ipſam ſignificare: ſic enim ſcribit ad

ad illud Æneidis I. *Aurea compoſuit ſponda. Antiqui ſtibadia non habebant, ſed ſtratis tribus lectis epulabantur unde triclinium ſterni dicitur, ſic & Cicero: Sterni triclinia, & in foro ſterni jubebat; unde apparet, errare eos, qui triclinium dicunt ipſam baſilicam, vel cenationem.* hæc ille. Apud Græcos verò οἶκος dicebatur, & à numero lectorum, qui in eo ſterni poſſent, οἶκος τρίκλινος, πεντάκλινος, ἑπτάκλινος, δεκάκλινος, ἑκατοντάκλινος, &c. appellabatur, Polluce teſte. In his cenaculis, ſive cenationibus, ſive tricliniis Romani veteres ſedentes cenare ſoliti erant. Servius Æneidis I. ad illud: *Regifico luxu: Romani*, inquit, *& duobus tantum cibis utebantur, & in atriis edebant ſedentes:* Unde Iuvenalis.

——quis fercula ſeptem
Secretò cenavit avus.

Et Virgilius,

Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.

Idem Servius Æn.viii. *Perpetuis*, inquit, *menſis, id eſt, longis, ad ordinem exæquatis ſedentium: majores enim noſtri ſedentes epulabantur; quem morem habuerunt à Laconibus, & Cretenſibus, ut Varro docet in libris de gente Pop. Rom. in quibus dicit quid à quaque traxerint gente per imitationem.* Plutarchus verò in Catone refert, cum poſt rem in Pharſaliâ infeliciter geſtam numquam accubantem, ſed ſedentem cibum ſumpſiſſe luctus cauſâ ejus verba ſunt: ἐδείπνει δὲ καθήμενος ἀφ' ἧς ἡμέρας τὴν κατὰ Φάρσαλον ἔγνω ἧτταν καὶ τοῦτο τῶν λοιπῶν προσέθηκε πένθει τὸ μὴ κατακλιθῆναι πλὴν καθεύδων. Iſidorus libro Etymol.xx.capite xi. *Sedes*, inquit, *dictæ, quoniam apud veteres Romanos non erat uſus accumbendi, unde & conſidere dicebantur. Poſtea, ut Varro ait in libro de vitâ Populi Romani viri diſcumbere cœperunt, mulieres ſedere: quia turpis viſus eſt in muliere accubitus.* Confirmat hoc Iſidori dictũ Val. Max. lib. ii. cap. i. his verbis: *Apud anti-*

antiquos feminæ cum viris cubantibus ſedentes cenitabant, quæ conſuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit: nam Iovis epulo ipſe in lectulum: Iuno & Minerva in ſellas ad cenam invitantur, quod genus ſeveritatis ætas noſtra diligentius in Capitolio, quàm in ſuis domibus ſervat: videlicet, quia magis ad rem pertinet, dearum, quàm mulierum, diſciplinâ contineri. Pueri etiam nobiles ſedentes, non accubantes, quod delitioſum habebatur, cenabant. Cor. Tac. lib. XIII. de Neronis tempore loquens: *Mos habebatur,* inquit, *principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus ſedentes veſci in conſpectu propinquorum, propriâ & parciore menſâ* & Suet. in Claudio: *adhibebat omni cenæ & liberos ſuos cum pueris, puelliſque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum ſedentes veſcerentur.* Verùm ipſius etiam Varronis tempore feminas accubantes cenare ſolitas, Cicero eſt teſtis, in cujus convivio Cyteris accubuit, ut ipſe refert Ep. ad

Pætûm libro IX. & Ovidius libro I. Elegiâ IV. cùm ſcribit:

Cum premet ille torum, vultu comes ipſa modeſto
Ibis, ut accumbas.

Suetonius de Imperatore Cajo Caligulâ: *Cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit, plenoque convivio ſingulas infra ſe viciſſim collocabat, uxore ſupra cubante.* Id quod in multis marmoribus expreſſum Romæ paſſim videmus. Poſtquam igitur non jam ſedentes, ſed accubantes omnes cenabant, lectos non diſſimiles illis, in quibus dormiebant, facere cœperunt, quos *tricliniorum*, ſive *tricliniares*, aut etiam *diſcubitorios* appellabant, ad differentiam videlicet *cubicularium*, quorum meminit Cicero libro II. de Divinatione, cùm ſcribit: *Quidam ſomniavit, ovum pendere è faſciâ lecti ſui cubicularis, &c.* Namque tam *tricliniares*, quàm *cubiculares* lectos inde principio dictos, ait Varro, quòd ex lectis herbis,

bis, aut ſtramentis fierent ante uſum tomenti: quamquam aliorum opinionem non improbet, qui eam vocem à Græcis ductam volunt, qui λέκτρον dicunt. Hi *tricliniorum lecti* (ſic enim eos appellat Cicero libro IV. in Verrem, cùm ſcribit: *Iam non quæro unde tantam Melitenſem veſtem habueris, unde quinquaginta tricliniorum lectos*) magnâ ex parte è ligno precioſo erant adfabrè facti, aut teſtudinum ſectis laminis, ebore, argento, atque etiam auro veſtiti, aut etiam ſolidi. Plinius libro ſexto decimo capite XLIII. *Quæ in laminas ſecantur, quorumque operimento veſtiatur alia materies, præcipua ſunt, cedrus, terebinthus, aceris genera, buxum, &c. Excogitatæ ſunt, & ligni bracteæ. nec ſatis; cœperunt animalium cornua & dentes ſecari, lignumque ebore diſtingui, mox operiri. Placuit deinde materiem & in mari quæri. Teſtudo in hæc ſecta. Nuperque portentoſis ingeniis principatu Neronis inventum, ut*

pigmentis perderet ſe, pluriſque veniret imitata lignum. Sic lectis pretia quæruntur, ſic terebinthum vinci juvat, ſic cedrum pretioſius fieri, ſic acer deſpici. Modò luxuria vero fuerat contenta ligno, jam lignum etiam è teſtitudine facit. Idem lib. IX. cap. XI. *Teſtudinum putamina ſecare in laminas, lectoſque, & repoſitoria iis veſtiri Carbilius Pollio inſtituit.* Refert verò Macrobius libro III. cap. XIII. ex indice cenæ Metelli Pontificis Maximi, quo die Lentulus Flamen Martialis inauguratus eſt, triclinia lectis eburneis ſtrata fuiſſe. Plinius item lib. XXXIII. cap. XI. *Lectos verò mulierum*, inquit, *jam pridem totos operiri argento, & triclinia quædam, quibus argentum addidiſſe primus traditur Carbilius Pollio eques Romanus non ut operiret, aut Deliacâ ſpecie faceret, ſed Punicanâ. Dein & aureos fecit, nec multò poſt argentei Deliacos imitati ſunt.* Eos ex argento ſolidos Heliogabalum Imperatorem habuiſſe refert Lampridius: *Hunc* inquit, *ſolido*

ſolido argento habuiſſe lectos & tricliniares & cubiculares. Sed multò ante eos aureos jam in uſu fuiſſe, refert Plin. lib. xxxvii. cap. ii. cùm ſcribit Gn. Pompejum in tertio triumpho, quem de Piratis Aſiâ & Ponto duxit, lectos tricliniares tres ex auro tranſtuliſſe. Hinc Virgilius Æneidis vi.

— *Lucent*, inquit, *genialibus altis*
Aurea fulcra toris.

Pedes quibus lecti fulcirentur, & fulcra ex ligno, ære, aut etiam argento erant. Terentius in Adelphis: *Lectulos in ſole iligneis pedibus faciendos dedit, ubi poteris vos*. Plin. lib. xxxiv. cap. x. *Antiquiſſima æris gloria Deliaco fuit, mercatus in Delo concelebrante toto orbe, & ideo cura officinis tricliniorum pedibus, fulcriſque ibi prima nobilitas æris*. & eodem lib. cap. iii. *Triclinia ærata abacoſque & monopodia Cn. Manilium Aſiâ devictâ primum invexiſſe triumpho ſuo, quem duxit anno Urbis* dlxvii. *L. Piſo auctor eſt. Antias quidem L. Craſſum hæredem L. Craſ-*

ſi oratoris multa etiam triclinia ærata, vendidiſſe. Cicero etiam in Verrem, IV. & Livius libro XXIX. *æratos lectos* dixere. Sed fulcris quoſdam lectos caruiſſe oſtendit Varro libro VII. de linguâ latinâ his verbis: *Quod ſi eſſet analogia ſequenda in ſupellectile, omnes lectos haberemus ad unam formam & aut cum fulcro, aut ſine eo.* Pedes verò lectorum partim rotundos, & tornatos, partim aliâ atque aliâ formâ effictos in marmoribus Romæ videmus. Hi diſcubitorii lecti interdum unum tantum cubantem capere poterant, tribuſque ex partibus pluteis muniebantur, ut in pleriſque domibus paulò lautioribus nunc Romæ ſunt, & in antiquis marmoribus ſculpti cernuntur, *Scimpodia*, græco nomine dicti. Heſychius: σκιμπόδιον, inquit, εὐτελὲς κλινίδιον, μονοκοίτιον. Gellius libro XIX. capite X. *Offendimus eum cubantem in ſcimpodio Græcienſi:* interdum duobus accubantibus locum præbebant, cujuſmodi non pau-

ci

ci ex illâ antiquitate Romæ viſuntur in quibus vir & uxor accumbentes cenant. Fiebant verò variâ formâ, ſed plurimùm quadrati, longi paulò amplius quàm ſtatura ſit hominis, lati ut quattuor aut quinque in eis commodè cubare poſſent, ut paulò inferius oſtendam. Licet autem variâ formâ eſſent, in eodem tamen triclinio pares omnes erant & materiâ & altitudine, & figurâ. Varro libro 8. de linguâ latinâ: *Nemo*, inquit, *facit triclinii lectos, niſi pares & materiâ, & altitudine, & figurâ*, & rurſus eodem libro. *Nam ut qui triclinium conſtruxerunt, ſiquidem lectum de tribus unum imparem poſuerunt, aut de paribus nimium aut parum produxerunt unum, corrigimus ad conſuetudinem communem, & ad aliorum tricliniorum analogias, ſic &c.* Ceterùm poſteaquam menſæ citreæ, quæ rotundæ erant in maximo pretio apud omnes eſſe cœperūt, pro tribus lectis *ſtibadium* faciebant, quod à ſimilitu-

 dine

dine ſigmæ litteræ Græcæ, quæ hac formâ ſcribebatur C, ſigma appellarunt. Martialis libro xiv. *de ſtibadio:*

Accipe lunata ſcriptum teſtudine ſigma.
Octo capit, veniat quiſquis amicus erit.

Et libro x. (*Lupum.*

Septem ſigma capit, ſex ſumus, adde

Lampridius etiam, *de Croco*, inquit, *ſigma ſtravit, cùm ſummos viros invitaſſet ad prandium.* Dixi hos lectos ſtibadia etiam vocari, quibus antiquos Romanos caruiſſe Servius ſcribit, ut ſupra retuli. Plinius minor libro v. Epiſtolarum. *In capite*, inquit, *ſtibadium candido marmore vite protegitur, è ſtibadio aqua velut expreſſa cubantium pondere ſiphunculis effluit, cavato lapide ſuſcipitur.* Hæc ſtibadia à numero hominum, quos capiebant nomina ſortiebantur, ut hexaclina ſi ſex, heptaclina ſi ſeptem caperent, dicerentur. Martialis libro ix. in Mamurram: (*clinon,*

Et teſtudineum menſus quater hexa-
Ingemuit citro non ſatis eſſe ſuo.

Sigma,

Sigma, ſive *ſtibadium* depictum vidimus in antiquiſſimo Virgilii codice Vaticano, & expreſſum in marmore quod eſt ad S. Chryſogonum Romæ. Porro lecti altiores magnorum hominum erant, illuſtriorumque perſonarum. Virgil. Æneidis II.

Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto.

Et libro VI.

— *Lucent genialibus altis*
Aurea fulcra toris.

Itaque ad eos gradibus aſcendebant. Varro lib. IV. de linguâ latinâ. *Quâ ſimplici ſcanſione ſcandebant in lectum non altum, ſcabellum: in altiorem, ſcamnum: duplicata ſcanſio gradus dicitur.* & libro VII. *Quòd ſi eſſet ſequenda analogia in ſupellectile, omnes lectos haberemus domi ad unam formam: & aut cum fulcro, aut ſine eo: nec tantùm ad tricliniarem gradus, non item ad cubicularem.* Contra verò humiles lecti minus honeſti erant; unde Valer. Maximus libro VII. cap. V. ex Cicerone in Oratione pro Murænâ hujuſmodi hiſto-

hiſtoriam refert: *Q. Ælius Tubero à Q. Fabio Maximo epulum populo nomine Africani patrui ſui dante, rogatus ut triclinium ſterneret, lectulos Punicanos pellibus hœdinis ſtravit. & pro argenteis vaſis Samia expoſuit.* &.paulò poſt: *quæ res illum integerrimum alioqui virum L. Pauli nepotem, & P. Africani ſororis filium Præturâ, quam petebat, dejecit. Punicanos* verò *lectos*, humiles fuiſſe ſcribit Iſidorus libro xx. capite xi. *Punicani*, inquit, *lecti parvi, & humiles, primùm à Carthagine advecti, & inde nominati*, Addit Seneca, & ligneos fuiſſe. namque hanc ipſam Tuberonis frugalitatem commendans, ſic ſcribit Epiſtolâ xcvi. libro xv. *Tuberonis ligneos lectulos cùm in publicum ſternerentur, hœdinaſque pro ſtragulis pelles, & ante ipſius Iovis cellam propoſita convivis vaſa fictilia &c.* Hi tricliniares lecti culcitis herbâ, plumâ, aut tomento ad ſimilitudinem cubicularium, farctis ſternebantur. Varro

ro libro IV. de linguâ latinâ. Juvenalis Satyrâ V.

Tertia ne vacuo ceſſaret culcita lecto,
Una ſimus ait.

Culcitæ verò, quoniam initio ex tortis herbis fiebant, *tori* ſunt appellatæ. Varro libro I. de vitâ Populi Romani, *quod frontem*, inquit, *lecticæ ſternebant ex herbâ tortâ, appellatum torum: hoc, quod injicitur etiam nunc toral dicitur*. Idem ſcribit aliquoties Servius. Hinc Virgilius Æneidis V.

Ut viridante toro conſederat herbæ.

Dicebantur & *pulvinaria*, ſive *pulvini*. Ovidius libro II. de Ponto, Elegiâ II.

Incolumis conjux ſua pulvinaria ſervat.

Et Apulejus libro X. *Quattuor Eunuchi pulvinis compluribus ventosè tumentibus, plumâ delicatâ, terreſtrem nobis cubitum perſtruunt*. *Culcitis*, ſive, *toris*, aut *pulvinis* apud priſcos Romanos *hœdinæ pelles* iniiciebantur, iiſque ſemper pro *ſtragulis* uſum

Cato-

Catonem Majorem refert Valerius Maximus lib. IV. cap. III. Atque ex eâ antiquitate Ælius Tubero Stoicus Philoſophus, & priſcis moribus vivens, pelles hœdinas pro ſtragulis in epulo publico, ut diximus, repetebat. Has poſtea ſtragulæ veſtes excepere, quæ, quod *toris* injicerentur, *toralia* dicebantur; ut ex Varrone jam retuli. Idem libro IV. de linguâ latinâ: *Toral*, inquit, *quod ante torum*. & Nonius Marcellus: *Toral, & toralium ſtragulum eſt*. Horatius libro XII. Epiſtolarum epiſtolâ V.

— *Ne turpe toral, ne ſordida mappa*
Corruget nareis.

Et libro Sermonum II. Satyrâ IV.
Et tyrias dare circũ illota toralia veſtes.

Appellabantur & vocabulo Græco, *periſtromata*. Varro libro IV. de linguâ latinâ: *Græca ſunt periſtromata, & peripetaſmata: ſic aliud aliquid, item convivii cauſâ*. Cicero Philip. II. *Conchyliatis Cn. Pompeji periſtromatis ſervorum in cellis lectos ſtratos videres*. Athenæus lib. V. ταύταις δὲ ταῖς κλίναις

ἀμ-

ἀμφίταπποι ἁλουργεῖς ὑπέστρωντο τῆς πρώτης ἐρέας, καὶ περιστρώματα ποικίλα διαπρεπῆ ταῖς τέχναις ἐπῆν. Erant ea purpurea, majorique ex parte textili opere, ſive acu picta. Martialis:

Babylonica picta ſuperbè tecta,
Semiramia, quæ variantur acu.

Et apud Plautum:

Ita veſtra ego latera loris faciam, ut validè varia ſient,
Ut ne periſtromata quidem æquè picta ſint Campanica, (quæ tapetia.
Neque Alexandrina belluata, conſuta-

Virgilius Æneidis I. (ventus
Iam pater Æneas, & jam Trojana ju-
Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro. Et, — *Frequentes*
Convenere toris juſſi diſcumbere pictis.

Cicero Verrin. IV. *Per triennium iſti Lamia nobilis mulier plena domo telarum ſtragulam veſtem confecit, nihil niſi conchylio tinctum.* Et Tuſculanâ V. *Collocari*, inquit, *juſſit hominem in aureo lecto ſtrato pulcherrimè textili ſtragulo, magnificis operibus picto.* Virg. Æn. I.

At

At domus interior regali ſplendida
luxu
Inſtruitur, mediiſque parant convi-
via tectis;
Arte laboratæ veſtes, oſtroque ſuperbo.

Varro Cato, vel de liberis educandis: *Etenim nulla, quæ non didicit pingere, poteſt benè judicare quid ſit benè pictum à plumario, aut textore in pulvinaribus plagis.* His lectis iniiciebantur *pulvini tricliniares* dicti, quos Itali *Coſſinos* vocant. Varro lib. VIII. de linguâ latinâ: *Quid ſi mappas tricliniares non ſimiles inter ſe, ſi quis pulvinos?* Hos à plumis ita appellatos tradit Varro libro IV. de linguâ latinâ, his verbis: *Poſteaquam tranſierunt ad culcitas, quòd in eas acus, aut tomentum, aliudve quid ſternebant, ab inculcando culcita dicta, ac quidquid inſternebant, à ſternendo ſtragulum appellabant. Pulvinum vel à pallulis declinarunt.* In marmoribus verò Romanis plurimis accubantes pulvinis cubito innixos videmus.

Mar-

Accubantes cubito pulvinis innixi.



Martialis libro III.

Cubitis trudit hinc & inde convivas
Effultus oſtro, ſericiſque pulvinis.

Athenæus lib. IV. ὥστε τῶν ξένων ἐνίους τῶν παραληφθέντων ὀκνεῖν τοὺς ἀγκῶνας ἐπὶ τὰ προσκεφάλαια ἐρείδειν. Lectis opere & materiâ pretioſis, ſuperbiſque & magnificis veſtibus inſtratis, pares adhibebantur *menſæ*, aut multò etiam pretioſiores, ex citro enim arbore magnâ ex parte conſtabant, quæ quanto in pretio haberetur, unus Plinii locus facilè oſtendet. is enim libro XIII. capite XV. de menſis citreis ita ſcribit: *Atlas mons peculiari proditur ſilvâ, de quâ diximus. Confines ei Mauri, quibus plurima arbor cedri, & menſarum inſania, quas feminæ viris contra margaritas regerunt. Extat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, & magis mirum eſt, illo ævo empta* HS. X. *Memoratur & Galli Aſinii* HS. XI. *venundatæ ſunt & duæ à Iuba Rege pendentes, quarum alteri pretium fuit* HS. XV. *alteri paulò minus.*

minus. Interiit nuper incendio à Cethegis deſcendens HS. XIV. *permutatâ latifundii taxatione, ſi quis prædia tanti mercari malit. Magnitudo ampliſſima adhuc fuit unius commiſſæ ex orbibus dimidiatis duobus à Rege Mauritaniæ Ptolemæo, quattuor pedum & ſemipedis craſſitudine quadrantali, majuſque miraculum in eâ eſt artis, quàm potuiſſet eſſe naturæ. Solidæ item à Nomio Ti. Cæſaris liberto cognomen trahentis, tribus ſicilicis infra quattuor pedes, totidemque infra ſemipedem craſſitudinis. Quâ in re non omittendum videtur Tiberio Principi menſam quattuor pedes ſextante ſicilico excedentem ſeſcuncialis cperimento laminæ veſtitam fuiſſe, cùm tam opima Nomio liberto ejus eſſet: hujus materia erat tuber, hoc eſt radicis vitium.* Hæc Plinius. cujus locum quantum ad notas nummorum attinet, ut in vulgatis libris legitur, retuli; reliqua ut ex manuſcriptis codicibus, & ex con-

coniecturâ mihi corrigenda viſa ſunt, poſui. Ceterum in notarum explicatione toto cælo mihi videtur erraſſe Budæus, vir alioqui doctiſſimus. Is enim libro III. de aſſe HS. X. & HS. XV. ſeſtertia decem, & ſeſtertia quindecim, hoc eſt, ducentos quinquaginta, & trecentos ſeptuaginta quinque aureos coronatos interpretatur, cùm hac ſummâ non ſolùm *latifundium*, quod Plinius ait; ſed neque prædiolum, aut, ut appellat Horatius, *Angulus*, illis temporibus emi poſſet; atque eò magis miror Budæum, quòd videam, eum legiſſe Tertullianum, qui libro de Pallio hunc locum à Plinio, ut pleraque alia in eo libro mutuatus, ſic ſcribit: *Adigo cauterem ambitioni, quâ M. Tullius quingentis millibus nummum orbem citri emit, quâ bis tantum Aſinius Gallus pro menſâ eiuſdem Mauritaniæ numerat. En quantis facultatibus æſtimavere ligneas maculas?* Igitur Aſinius Gallus citream menſam

ſam HS, X. hoc eſt decies ſeſtertium mercatus eſt, non decem ſeſtertiis; ut Budæus cenſet. De Ciceronis verò menſâ, ut Plinio cum Tertulliano conveniat, legerem, *empta HS. D.* hoc eſt ſeſtertiis quingentis, ſive quingentis millibus nummum. Animadverti enim aliquoties in veteribus libris, D, pro, X, poni, quia, D, prima littera eſſet numeri decem, qui, X, notatur. Ciceronis ergo citrea menſa æſtimari debuit XII. MD. aureis coronatis, Aſinii verò XXV. M. neque hoc mirabitur, qui legerit apud Martialem libro XIV. in lemmate, Mensa Citrea:

Accipe felicis Atlantica munera ſilvæ:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Et Senecam, qui libro XII. de Beneficiis capite X. *Video,* inquit, *iſtic menſas, & æſtimatum lignum Senatorio cenſu, eò pretioſius, quò illud in plures nodos, arboris infelicitas torſit.*

(Porrò

(Porrò Senatoris cenſum duodecies centena millia nummum fuiſſe, hoc eſt, aureorum ſcutatorum XXX. M. ex Suetonio in Auguſto omnibus notum eſt: *Senatorium*, inquit, *cenſum Auguſtus ampliavit, ac pro octingentorum millium ſummâ duodecies ſeſtertium taxavit, ſupplevitque non habentibus.*) Magis verò mirabitur, Senecam ipſum Stoicum Philoſophum ob vitæ integritatem inter omnes ad inſtituendum Neronem principem electum. qui initio libri de tranquillitate vitæ ſcripſerat, niſi fortè hæc verba Sereni ſunt Senecam conſultantis, non ipſius Senecæ: *Tenet me ſummus amor parſimoniæ. Placet miniſter incultus, & rudis vernula, argentum grave ruſtici patris ſine ullo nomine artificis, & menſa non varietate macularum conſpicua, nec per multas elegantium dominorum ſucceſſiones civitati nota; ſed in uſum poſita, quæ nullius convivæ oculos, nec voluptate moretur, nec accendat*

cendat invidiâ. Qui hoc, inquam, ſcripſerat, quingentas tamen ipſum menſas citreas habuiſſe pedibus eburneis, & inter ſe pares, in quibus ipſe cenabat, auctor eſt Dio Caſſius, his verbis in Nerone: *πεντακοσίους τρίποδας κεδρίνου ξύλου ἐλεφαντόποδας ἴσους καὶ ὁμοίους εἶχε, καὶ ἐπ' αὐτῶν εἱστιᾶτο.*

His menſis coronæ argenteæ, aureæ, interdum & gemmis diſtinctæ addebantur. Scævola *in lege qui uxori ff. de auro & argento legato* cùm dixiſſet: *Perveniamus ad gemmas incluſas argento, auroque*, ſubjungit: *Sed & in coronis menſarum gemmæ coronis cedent, & hæ menſis.* Menſæ primùm fiebant quadratæ, poſtea rotundæ in uſu eſſe cœperunt, unde poëtæ illas *quadras*; has *orbes* vocant. Virgilius Æneidis VII.

Et violare manu, maliſque audacibus orbem
Fatalis cruſti, patulis nec parcere quadris.

Feſtus: *Eſcariæ menſæ quadratæ vocantur, in quibus homines epulantur.* Varro libro IV. de linguâ latinâ. *Menſam eſcariam cibillam appellabant, ea erat quadrata, ut etiam nunc in caſtris à cibo cibilla dicta, poſtea rotunda facta.* Hæc Varro, apud quem in manuſcriptis libris non *cibilla* legitur, ſed *cilliba*, ut apud Feſtum etiam in vulgatis libris eſt: *Cillibæ menſæ rotundæ.* Sequitur apud Varronem: *Et quod quæ à nobis media, à Græcis μέσα, menſa dici poteſt; niſi etiam quòd ponebant pleraque in cibo menſa.* *Menſæ* etiam appellabantur epulæ menſis appoſitæ. Pollux, τραπέζας δὲ ἐκάλουν καὶ τὰ σιτία τὰ ἐπ' αὐτῶν τιθέμενα. quo ſenſu Virgilius Æneidis I. dixit:

Poſtquam prima quies epulis, menſæque remotæ.

Nam ſequitur:

Dixit & in menſâ laticum libavit honorem.

Non ergo menſæ ipſæ remotæ fuerant,

rant, ſed epulæ illis impoſitæ. Hæ menſæ aut uno tantùm pede fulciebantur, & *monopodia* erant, in deliciis quondam habita. Livius libro XXXIX. *Luxuriæ*, inquit, *peregrinæ origo ab exercitu Aſiatico invecta in Urbem eſt, ii primùm lectos æratos, veſtem, ſtragulam pretioſam, plagulas, & alia textilia, & quæ tunc magnificæ ſupellectilis habebantur, monopodia & abacos Romam advexerunt. Tunc pſaltriæ, ſambuciſtriæque & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis.* Meminit & Plinius libro XXXIV. capite III. Aut duobus pedibus nitebantur, *bipedes* dictæ, quales in marmoribus Romæ expreſſas videmus. Martialis libro XII.

Ibat tripes grabatus, & bipes menſa.

Sed tripedes frequentiùs erant, ut ex iiſdem marmoribus diſcimus, & ex quingentis illis, quas habuiſſe Senecam Dioni credimus, quamquam eas parſimoniæ ſignum fuiſſe oſtendere videatur Horatius,

cùm ſcribit. I. libro Sermonum,

——modo reges atque tetrarchas
Omnia magna loquens, modo ſit mihi menſa tripes &
Concha ſalis puri, & toga quæ defendere frigus
Quamvis craſſa, queat.

Hæ lineis mantilibus ſternebantur. Virgilius Æneidis I.

Dant famuli manibus lymphas, Cereremque caniſtris
Expediunt, tonſiſque ferunt mantilia villis.

ad quem locum Servius: *Conſtat*, inquit, *majores mappas habuiſſe villoſas, mantilia verò à manibus.* Martialis libro XIV. in lemmate, *Gauſapa villoſa*, vel *mantile*

Nobilius villoſa tegant, tibi lintea citrum,
Orbibus in noſtris circulus eſſe poteſt.

Varro libro V. de linguâ latinâ: *Mantelium, quaſi manuterium, ubi manus terguntur.* Erant nihilominus *& mappæ*, quibus manus tergerentur,

tur, *tricliniares* appellatæ. Varro libro VIII. de linguâ latinâ. *Quis facit mappas tricliniares non ſimiles inter ſe?* Horatius libro I. Epiſtolarum.

——ne ſordida mappa
Corruget nares.

Plinius libro XIX. capite I. cùm de lino agit: *Inventum*, inquit, *eſt tam quod ignibus non abſumeretur. Vivum id vocant, ardenteſque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas ſordibus exuſtis ſplendeſcentes igni magis quàm poſſent aquis.* Has plerumque convivæ ipſi domo afferebant. Martialis libro XII. de Hermogene fure mapparum maximo:

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur,
Mantile è menſâ ſurripit Hermogenes.

Et paulò poſt:

Ad cenam Hermogenes mappam non attulit unquam
A cenâ ſemper retulit Hermogenes.

Atque hæc de menſis. Erant verò & *repoſitoria* ſive *abaci* quibus argentum exponerent non vilioris materiæ, aut operis quàm menſas, aut lectos diximus. Plinius lib. xxxiii. capite xi. *Cornelius*, inquit, *Nepos tradit ante Syllæ victoriam, duo tantum triclinia Romæ fuiſſe argentea. Repoſitoriis argentum addi ſuâ memoria cœptum Feneſtella dicit, qui obiit noviſſimo Tiberii Cæſaris principatu. Sed & teſtudinea tum in uſum veniſſe. Antè ſe autem paulò lignea, rotunda, ſolida, nec multò majora, quàm menſas fuiſſe. Se quidem puero quadrata & compacta, aut acere operta, aut citro cœpiſſe. Mox additum argentum in angulis lineaſque per commiſſuras.* hæc Plin. Reponebantur in his dapes priuſquam menſis inferrentur. Plinius eodem libro. *Jam verò*, inquit, *& menſas repoſitoriis imponimus & ad ſuſtinenda obſonia interradimus latera, & intereſt quam plurimùm limâ perdiderit.* Ex-

pone-

ponebantur etiam in his lances, & vaſa omnis generis, argentea, atque aurea, pura, aut cælata, vel etiam gemmis diſtincta, murrhina, cryſtallina, gemmea, nec non ærea, aut Corinthia, aut excellentium artificum cælo fabrefacta: de quibus ſingulis, eorumque immenſis pretiis ex Plinio & aliis pauca dicemus. Ac de argento quidem (ſic enim appellabant argenteum menſarum apparatum: Ut apud Virgilium Æneidis I.

Ingens argentum menſis, cælataque in auro
Fortia facta patrum.

quemadmodum & *auri* appellatione *aurea vaſa* contineri ſcribit Scævola in lege qui uxori ff. de auro & argento legato. *Auro*, inquit, *legato vaſa aurea continentur, & gemmis gemmea*) illud ſatis fuerit referre, quod Plinius ſcribit loco à me ſupra citato: *Africanus cùm de Pœnis triumpharet IIII. M.CCCCLXX. M. pondo*

tranſtulit. Hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum æmula, quod nunc in menſarum eſt apparatu. Et numerum quidem apud Plinium vitioſum arbitror; ſed illud omnem luxuriam excedere videtur, privatos cives Romanos tantum argenti ad menſæ apparatum poſſediſſe, quantum tota Carthago Romanæ urbis æmula, terrarum orbis avida, cùm maximè floreret, habuerit. Ac primùm de lancibus hoc uno exemplo ex eodem Plinii loco petito contentus ero: *Paulò*, inquit, *ante Syllanum bellum lances è centenis libris argenti, quas tunc ſuper quingentas numero Romæ fuiſſe conſtat, multoſque ob eas proſcriptos dolo concupiſcentium. Noſtra ætas fortior fuit Claudii principatu: ſervus ejus Druſillanus nomine Rotundus, diſpenſator Hiſpaniæ citerioris quingenariam lancem habuit, cui fabricandæ officina prius exædificata fuerat: & comites ejus octo quinquaginta librarum. Quæſo ut quàm multi*

multi eas conſervi ejus inferrent, aut quibus cenantibus? Eam lancem quingentarum librarum, non habitâ manupretii ratione, ſed argenti tantum, quinque ferè aureorum ſcutatorum millibus æſtimare poſſis. Meminit ejus & Tertullianus libro de Pallio his verbis, cùm de citreis menſis multa dixiſſet: *Druſillanus equidem ſervus Claudii quingenariam promulſidem ædificat, ſupraſcriptis fortaſſean menſis neceſſariam: cui ſi officina extructa eſt, debuit & triclinium.* hæc ille. Verùm hanc inſaniam in immenſum augent vaſorum manupretia à Plinio his verbis eodem loco relata: *Nec copia tantum argenti furuit vita* (ſic enim fortaſſe legendum) *ſed validius etiam manupretiis, idque jam pridem, ut ignoſcamus nobis. Delphinos quinis millibus* HS. *in libras emptos C. Gracchus habuit. L. vero Craſſus orator duos ſcyphos Mentoris artificis manu cælatos ſeſtertiis centum. Conſtat eundem* VI.

millibus HS. *in libras ſingulas vaſa empta habuiſſe.* hucuſque Plinius. Gracchus igitur quatuordecim ferè argenti libras manupretii nomine pro ſingulis libris argenti dedit. libra enim tunc CCCXXXVI. nummos ſeſtertios habuit. L. vero Craſſus adhuc amplius decem & octo libras. nam Mentoris duos ſcyphos, hoc eſt parva pocula, tribus ferè ſcutatorum millibus æſtimes licet. Sequitur apud Plinium: *Et Pytheas, cujus duæ unciæ viginti* (ſive ut in V. C. legitur x.) *veniere.* Quo loco, ſi verè legitur, *duæ unciæ*, & x. talenta intelligemus. propterea quòd de rebus Græcis agitur, has Pytheæ artificis duas uncias ſex millibus ſcutatorum æſtimabimus. & de cælaturis quidem multa Plinius libro XXXIII. capite XII. Sed hoc præcipuum: *Zopyrus Areopagitas, & judicium Oreſtis in duobus Scyphis cælavit* HS. XII. *æſtimatis,* quæ notæ ſi duodecies ſeſtertium deſignant, triginta

ginta ſcutatorum millia conficiunt. Sin verò, quoniam de Græcis ibi ſermo eſt, A. XII. id eſt talenta duodecim, eſt legendum, ſcutati ſunt VII. M. CC. De reliquis verò vaſis Cicero Verrin. IV. *Exponit*, inquit, *multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro: quæ ut mos eſt regibus, & maximè in Syriâ, gemmis erant diſtincta clariſſimis. Erat etiam vas vinarium ex unâ gemmâ prægrandi, trulla excavata manubrio aureo.* Plinius libro XXXVII. capite II. de Pompeii triumpho: *Tranſtulit vaſa ex auro, & gemmis abacorum novem.* & in proœmio libro XXXIII. *Nec hoc fuit ſatis: turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices, ac temulentiæ cauſâ tenere Indiam juvat, & aurum jam acceſſio eſt.* De murrhinis autem Plinius eodem loco: *Eadem victoria primùm in urbem murrhina induxit. Primus Pompejus ſex pocula ex eo triumpho Capitolino Jovi dicavit: quæ protinus*

ad hominum uſum tranſiere, abacis etiam, eſcariiſque vaſis inde expetitis. Excreſcitque in dies rei luxus murrhino LXXX. *ſeſtertiis empto* (hoc eſt ſcutatorum duobus millibus) *capaci planè ad ſeſtarios tres calice. Potavit ex eo ante hos annos conſularis ob amorem abroſo ejus margine, ut tamen injuriâ illâ pretium augeret: neque eſt hodie murrhini alterius præſtantior indicatura.* & paulò poſt: *T. Petronius conſularis moriturus invidiâ Neronis principis, ut menſam ejus exheredaret, trullam murrhinam* CCC. *ſeſtertiis emptam fregit. Sed Nero, ut par erat principem, vicit omnes* CCC. *ſeſtertiis capidem unam parando. Memoranda res tanti Imperatorem, patremque patriæ bibiſſe. Oriens murrhinam mittit. Humorem putant ſub terrâ calore denſari.* Hucuſque Plinius, apud quem CCC. ſeſtertia ſcutatorum ſunt VII. M. D. De cryſtallinis ibidem Plinius hæc refert: *Aluis hic furor* HS. CLM. (hoc eſt, ſcutatis aureis

teis iii. m. dccl.) *trullam unam non ante multos annos mercatam à matre familias nec divite. Idem Nero amiſſarum rerum nuntio accepto, duos calices cryſtallinos in ſupremâ irâ fregit illiſos. Hæc fuit ratio ſæculum ſuum punientis, ne quis alius ex eis biberet.* De æreis autem vaſis aut Corinthiis, aut Deliacis, multa apud auctores mentio. Cicero pro Sex. Roſcio Amerino: *Domus*, inquit, *referta vaſis Corinthiis, & Deliacis: in quibus eſt authepſa illa, quam tanto pretio nuper mercatus eſt: ut qui prætereuntes pretium numerari audiebant, fundum venire arbitrarentur.* & Paradoxo i. *Qui cælato auro, & argento, & Corinthiis operibus abundant.* Fuere etiam magno in pretio *toreumata*, hoc eſt torno elaborata vaſa, quæ à primo inventore Thericle, *Thericlea* vocabantur. Plinius libro xvi. capite xl. *Celebratur & Thericles nomine, calices ex terebintho ſolitus facere torno.* & Clemens Alexan-

Alexandrinus libro II. Pædagogi capite III. *Valeant ergo Thericlei calices, &c.* de quibus multa Athenæus libro II. & Philo Judæus libro de vitâ contemplativâ: *Phiala Thericlea, toreumataque clarorum artificum.* ut quod apud Ciceronem Verrin. IV. legitur in vulgatis codicibus: *De hoc Verri dicitur habere eum perbona toreumata, in his pocula duo quadam, quæ Heraclia nominant, Mentoris manu ſummo artificio facta.* vitioſum videatur, & *Thericlea* ſubſtituendum. Ita ſtrato triclinio convivæ loti cenatum veniebant apud ipſum convivii dominum, lavabant. Terentius Phormione:

Te ne aſymbolum venire unctum,
atque lautum è balneis.

Plautus in Sticho:

Quàm mox cocta eſt cœna? impranſus ego ſum.
EP. *Abi intro ad me, & lava.*

& paulò poſt:

Ibo

Ibo lavatum in Pilium : poſt ubi laverò, ocioſius vos operiam accubans. Quòd ſi loti non erant, pedes ſaltem lavabant. Apud Plautum in Perſâ convivæ advenienti quidam ait:

Locus hic tuus eſt, hic accumbe: ferte aquam pedibus : preben tu puere? Niſi fortè *manibus*, legendum. Veſtem deinde mutabant, & *cenatoriam*, ſive convivalem ſumebant, etiam ii, qui luctus cauſâ atrati erant. De *cenatoriis* Martialis libro XIV. *Cenatoria:*

Nec fora ſunt nobis nec ſunt vadimonia nota:
Hic opus eſt pictis accubuiſſe toris.

Petronius Arbiter: *Cenatorias repetimus, & in proximam cellam ducti ſumus, in quâ tres lecti ſtrati erant.* Pomponius in lege ſcribit ff. de auro, & argento legato. *Quintus Mutius ait, ſcire ſe quendam Senatorem muliebribus cenatoriis uti ſolitum.* Seneca controverſiâ XXV. *Dic mihi, ſi cum animad-*

animadvertere debeat, nec legitimo cultu ac more ſolemni uſus, interdiu, tribunal conſcenderit convivali veſte. Cicero in Vatinium: *Atque illud, inquit etiam ſcire ex te cupio, quo conſilio, aut quâ mente feceris, ut in epulo Q. Arrii familiaris mei cum togâ pullâ accumberes?* & inferius: *Cedo, quis unquam cenavit atratus? Ita enim illud epulum eſt funebre, ut munus ſit funeris, epulæ quidem ipſæ dignitatis. Sed omitto epulum Populi Romani feſtum diem argento, veſte, omni apparatu ornatuque viſendo; quis in funere familiari cenavit cum togâ pullâ? Cui de balneis exeunti præter te toga pulla unquam data eſt? Cùm tot hominum millia accumberent: cùm ipſe epuli dominus Q. Arrius albatus eſſet, tu in templo Caſtoris, te cum C. Fidolo atrato, ceteriſque tuis furiis funeſtum intuliſti.* Scribit verò Salluſtius, ut quidem legitur apud Macrobium libro III. capite XIII. Metellum Pium togâ pictâ plerumque

que amictum accubare ſolitum. In marmoribus Romanis, qui in lectis accumbunt, aut ſeminudi, aut unicâ tantum veſte tecti videntur. Sumptâ cenatoriâ, atque jam diſcubituri, ne pretioſam veſtem ſtragulam, de quâ diximus, lutulentis, aut ſordidis calceis inquinarent, *ſoleas* deponebant. Martialis libro v.

Depoſui ſoleas, affertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.
Alter perlegitur dum fercula prima morantur;
Tertius eſt, nec adhuc menſa ſecunda venit.

Plautus in Truculento:

Iam rediit animus, deme ſoleas, cedo vinum.

Sic Naſidienus apud Horatium libro II. Satyrâ ultimâ. cùm è convivio ſurgere vellet: ſoleas, quas depoſuerat, poſcit. Et Seneca controverſiâ xxv. de Manlio Prætore,

qui

qui in convivio hominem noxium ſecuri feriri juſſerat : *Prætor*, inquit, *ad occidendum hominem ſoleas popoſcit*. Plautus in Truculento :

Cedo ſoleas mihi, properate, auferte menſam:

In quibuſdam marmoribus Romanis, convivis accumbere parantibus à ſervis soleæ demuntur. in omnibus verò ii, qui in lecto accubant, nudis ſunt pedibus. Poſtquam ſe in lectis ordine collocaverant, manus lavabant. Hinc apud Virgilium Æneidis I.

Iam pater Æneas, & jam Trojana juuentus
Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.
Dant manibus famuli lymphas.

Plautus in Perſâ :

Tu Sagariſtrio accumbe in ſummo, meum natalem agitemus amœnum.
Date aquam manibus, apponite menſam.

Seneca

Seneca controverſiâ xxv. *Etiam carnifices cenaturi manus abluunt.* In quibuſdam Romanis marmoribus convivis accubantibus præſtò ſunt ſervi cum malluvio, & aquâ manili. Fabius Pictor libro xvi. citante Nonio in Polubrum: *Aquam manibus, pedibuſque dato, polubrum ſiniſtrâ manu teneto, dexterâ vaſum cum aquâ.* Deinde *unguenta* dabantur, quibus caput, & barbam ungerent. Martialis libro iii.

Unguentum, fateor, bonum dediſti
Convivis here: ſed nihil ſcidiſti.

Dabantur & *coronæ* ex his floribus, quos anni tempus ſumminiſtrabat: ſed maximè roſâ, aliiſque quæ ebrietatem prohiberent, & caput non gravarent. Has quidem capiti, nonnulli collo: alii bracchiis aptabant, ut in antiquis marmoribus videmus, & ab auctoribus traditur. Cicero Verrin. v. *Ipſe autem coronam habebat, unam in capite, alteram in collo.* De convivarum

numero

numero à Varrone apud Aulum Gellium libro XIII. capite XI. ita definitur, ut nec pauciores ſint quam tres, nec plures quam novem: ut aut numerum Gratiarum æquent. aut Muſarum. Diſcumbebant autem in lectis pro cujuſque dignitatis faſtigio ordine ſervato; qua de re operæ pretium fuerit, integrum locum Plutarchi ex convivalibus quæſtionibus huc inſerere. eſt autem libro I. quæſtione III. *Secundum id, inquit, incidit quæſtio de locis: alius enim apud alios locus honoratior: ut Perſis medius, quem accumbens Rex occupat, videtur honeſtiſſimus apud Græcos primus: apud Romanos medii lecti ultimus: quem ipſi conſularem vocant. Apud quoſdam Græcorum juxta Pontum habitantium, ut Heracleotas, medii lecti primus. Maximè autem de conſulari loco dubitatum à nobis fuit, qui cùm apud nos haberetur præcipuus, cauſa ejus rei, neque ut quia primus, neque ut quia medius eſſet,*

eſſet, definiri poterat. Atque ex iis, quæ ſuper eâ re dicta fuere, tria referenda videntur. Unum quod exactis Regibus, Conſules cùm ad popularem formam omnia redigerent, ſeipſos è medio, & regio loco deorſum ſubduxerunt: ne vel ipſe locus tamquam qui aliquid ex faſtu, & majeſtate regiâ adhuc retineret, moleſtus eſſet civibus. Secundum fuit, quòd cùm duo lecti invitatis tribuantur, tertius, ejuſque primus, hoc eſt medius locus domino convivii congruit; ex eo enim tanquam auriga, ac gubernator facilè & miniſteria intueri, & ab aliis non ita longè abeſt, ut non cum eis miſcere ſermonem poſſit, & colloqui. locus enim infra eum, uxoris eſt, aut liberorum: qui ſupra, is, ut par eſt, tribuitur convivarum honoratiſſimo. Tertium fuit; quòd hujus loci proprium videbatur, opportunitas nimirum ad munia obeunda: convenit enim magiſtratum, ac principem curare in quovis convivio, in quavis animi remiſſione, ut & audita,

diat, & mandet ea, quæ opus ſint, & ſubſcribat: quod ut Conſul facere poſſit, commodiſſimum hunc habet locum, ubi ſecundus lectus primo applicatus, angulus flexu ſuo intercapedinem facit, quæ ſpatium accedendi, alloquendi, & audiendi prabeat ſcribæ, lectori, ſtipatori, nuntio ab exercitu venienti: cùm interim Conſul neque moleſtiam cuiquam convivarum exhibeat, neque ipſi obturbetur à quoquam; ſed dextram, & vocem habeat liberam, atque expeditam. hæc Plutarchus. Verùm enim vero, quod ait medii lecti ultimum locum digniorem fuiſſe apud Romanos, id cùm Conſul convivio intererat fortaſſe perpétuum fuit: cùm verò aut Pontificales *cenæ* dabantur, aut ipſi Pontifices adhibebantur conviviis, is locus, quem apud Heracleotas, & Græcos Pontum habitantes eſſe præcipuum tradit Plutarchus, honoratior apud Romanos erat: id quod ex Feſto facilè colligitur, qui ſic ſcribit:

Ordo

Ordo ſacerdotum æſtimatur Deorum ..... maximus quiſque; maximus videtur Rex, deinde Dialis, poſt hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto loco Pontifex maximus. Itaque in conviviis ſolus Rex ſupra omnes accubat; ſed Dialis ſupra Martialem; Martialis ſupra proximum: omnes deinde ſupra Pontificem. Idem refert & Gellius ex Pontificalibus libris, his verbis; *Super hominem Dialem in convivio, niſi Rex Sacrificulus haud quiſquam alius accumbit.* quin & medii lecti locum apud Romanos, ut etiam apud Perſas, Imperatorum, & honeſtiſſimarum perſonarum fuiſſe multa auctorum loca declarant. Suetonius de C. Caligulâ Imperatore. *Cum omnibus*, inquit, *ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit, plenoque convivio ſingulas infra ſe viciſſim collocabat, uxore ſupra cubante.* medius ergo erat inter uxorem & ſororem. Notatur verò à Suetonio Cajus, quod eum locum ſoro-

b.

ſororibus tribueret, qui uxori debebatur: ut ex Plutarcho cognovimus. In illo item convivio, quo apud Perpernam Sertorius occiſus eſt; medium locum ipſi Sertorio, ut Imperatori datum, Salluſtius apud Servium ſcribit his verbis: *Igitur diſcubuere, Sertorius inferior in medio, ſupra L. Fabius Hiſpanienſis Senator ex proſcriptis: Antonius in ſummo: infra ſcriba Sertorii Verſius: & alter ſcriba Mæcenas in imo; medius inter Tarquitium & dominum Perpernam.* Sic enim hic Salluſtii locus legitur in manuſcriptis Servii codicibus, licet apud eum mancus ſit, cùm non planè referatur, qui inter Tarquitium & Perpernam convivii dominum accubuerit. Et quoniam Servius ex hoc loco probat, medium locum apud majores fuiſſe domini convivii, & in eo convivio dominus erat Perperna: videtur legendum: *medius inter Tarquitium & . . . dominus.* nam Perpernæ nomen explica-

plicationis cauſâ ab aliquo adjectum videtur. Quòd verò dicitur, *Sertorius inferior in medio*: intelligo eum relicto medio lecto Perpernæ, qui ſe invitaverat, inferioris lecti locum medium occupaſſe. Ex hoc loco præterea diſcimus, quid ſit, *infra* & *ſupra* diſcumbere, quid *in ſummo* & *in imo*. Ut etiam ex illo Horatii libro II. Sermone ultimo:

Summus ego, & prope me Viſcus Thurinus, & infra,
Si memini, Varius: cum Servilio Balatbrone
Vibidius; quos Mæcenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat ſuper ipſum, Porcius infra.

En Mæcenatem magnum virum medium inter Nomentanum & Porcium accubuiſſe? Cicero libro IX. Epiſtolarum ad Pætum: *Accubueram horâ nonâ àpud Volumnium Eutrapelum; & quidem ſupra me*

Atticus, infra Verrius familiares tui: infra Eutrapelum Cytheris accubuit. Solere autem hujuſmodi mulieres, infra eos, hoc eſt, in ſinu eorum accumbere, qui eas amarent, ſive conduceſent, præter hunc Ciceronis locum & illum alterum Suetonii, T. Livius confirmat: qui libro XXXIX. de L. Quintio Flaminino ſic ſcribit ex Valerio Antiate: *Placentiæ famoſam mulierem, cujus amore deperiret, in convivium accerſitam, ſcribit Antias, ibi jactantem ſe ſcorto inter cetera retuliſſe, quàm acriter quæſtiones exercuiſſet, & quàm multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos ſecuri percuſſurus eſſet. tum illam infra eum cubantem, negaſſe unquam vidiſſe quemquam ſecuri ferientem, & pervelle id videre. hic indulgentem amatorem unum ex illis miſeris attrahi juſſum ſecuri percuſſiſſe. facinus ſævum, & atrox, inter pocula, atque epulas, ubi libare Diis dapes, ubi benè precari mos eſſet, ad ſpectacu-*

lum

lum ſcorti procacis in ſinu Conſulis recubantis mactatam humanam victimam eſſe, & cruore menſam reſperſam. Infra aliquem ergo cubare, & in ſinu ejus recumbere, idem eſſe manifeſtum eſt. Atque auctore Plutarcho is locus uxoris, aut filiorum, aut alioqui carorum hominum inter honeſtas perſonas fuit. Plinius Junior libro IV. Epiſtolarum: *Cenabat Imperator Nerva cum paucis, Vejento proximus, atque etiam in ſinu recumbebat.* Cenæ verò initio proni in ventrem decumbebant pulvinis pectori appoſitis, quo utraque manus ad veſcendum eſſet liberior: ut in antiquis marmoribus Romæ conſpicitur; procedente autem convivio, in cubitum ſe reponebant, aut ſi loqui nollent, ſupini jacebant. Quærit Plutarchus libro V. Sympoſiacon, quæſtione VI. *Cur cenæ initio anguſtè, poſtmodum verò laxiùs diſcumberetur:* eamque rationem reddit, quam ſupra retuli: quòd ſcili-

cet principio in ventrem diſcumberent, poſtea in cubitum: quod Horatius oſtendit, cùm ſcribit libro II. Satyrâ IV.

Languidus in cubitum jam ſe conviva reponet.

Ea omnia in marmoribus expreſſa videmus; ſed maximè in Patavino triclinio, quod ex antiquiſſimo lapide effictum inferius dabimus. In eo enim ii, qui in medio lecto ſunt, proni jacent; qui in reliquis, partim in cubitum repoſiti, partim ſedentium ſpecie, partim ſupini; ut Sertorium accubuiſſe, refert Plutarchus, cùm à conjuratis occiſus eſt. Atque in pleno convivio plerunque terni in lectis accumbebant, nonnumquam & quaterni. Horatius libro I. Satyrâ IV.

Sæpe tribus lectis videas cenare quaternos.

aliquando etiam quini; ut in convivio, quo occiſus eſt Sertorius apud Salluſtium; & in Naſidieni apud Hora-

Horatium vidimus. Apud Macrobium etiam libro III. capite XIII. in cenâ Pontificali, duobus lectis decem Pontifices accubuerunt, in tertio tres virgines Veſtales, ac Flaminica, ejuſque ſocrus: licet id reprehendere videatur Cicero in Piſonem: *Extructâ*, inquit, *menſâ non conchyliis, aut piſcibus, ſed multâ carne ſubrancidâ, ſervi ſordidati miniſtrant, nonnulli etiam ſenes: idem cocus, idem atrienſis, piſtor domi nullus, nulla cella, panis & vinum à propolâ, atque de cupâ: Græci ſtipati, quini in lectulis, ſæpe plures, ipſe ſolus.* hæc Cicero. Nam hexaclinon Martialis & ſigma, quod convivas octo capere poterat, ut jam dixi, triclinii vicem obtinebat, non lecti. Convivis autem menſas dapibus onuſtas pro diſcis apponi ſolitas, Servio credimus: qui ad illud Æneidis I.

Poſtquàm exempta fames epulis, menſæque remotæ, ſic ſcribit: *Apud majores ipſas menſas apponebant pro diſcis, unde eſt:*

Et menſæ grata ſecundæ.

Duas enim habebant menſas, unam carnium, alteram pomorum. Reprehendit verò Martialis Annium, apud quem dapes lancibus potiùs quàm menſis ipſis inferrentur: namque ſic ſcribit libro VI.

Cùm menſas habeat ferè ducentas,
Pro menſis habet Annius miniſtros:
Tranſcurrunt gabatæ, volantque lances:
Has vobis epulas habete lauti,
Nos offendimur ambulante cenâ.

Cenæ initio ova apponebantur. hinc Cicero in epiſtolis: *Integram*, inquit, *famem ad ovum affero.* & Horatius libro I. Satyrâ III.

——ſi collibuiſſet
Ab ovo uſque ad mala citaret Io Bacche.

id

id eſt, ab initio cenæ uſque ad menſam ſecundam: quæ pomis, ſeu malis conſtabat, ut diximus: & apud Varronem libro I. de Re ruſticâ capite II. Cùm quidam è convivis, qui ſe tardiùs veniſſe exiſtimabant, ita rogarent ceteros: *Num cenâ comeſâ venimus*: Reſpondent illi: *Bono animo eſte: nam non modo non ovum illud ſublatum eſt, quod ludis Circenſibus noviſſimi curriculi finem facit quadrigis; ſed ne illud quidem ovum vidimus, quod in Cereali pompâ ſolet eſſe primum.* quem locum, quia non nihil obſcuritatis habet, breviter interpretari haud ab re fuerit. Antiqui ovis & inchoabant dapes, & finiebant. Id ex eo cognoſcitur, quòd cùm Athenæus libro ſecundo, ova inter cenæ principia numeraſſet: libro XIV. eadem in ſecundâ menſâ adminiſtrari ſolita his verbis refert: ἐδίδοτο δὲ καὶ τὸ ᾠὸν ἐν τῇ δευτέρᾳ τραπέζῃ μετὰ τῶν μελιπήκτων. Significat ergò Varro, non ſolùm cenam

finitam non eſſe, ſed ne inceptam quidem. Id verò his figuris involvit. In pompâ Cereris inter varia geſtamina & fercula, quæ à ſacerdotibus ferebantur, ovum primum locum obtinebat: in Circo vero ova fuiſſe ad numeranda curricula appoſita, in multis marmoribus Romæ videmus: & Livius tradit his verbis libro XLI. licet mutilo loco. *Et carceres in Circo fecit, & ova, ac metas curriculis numerandis.* & Caſſiodorus libro III. variarum ad Fauſtum: *Neque illud*, inquit, *putetur irritum, quòd metarum circuitus ovorum ereptionibus exprimatur.* Ultimum itaque ovum metis ereptum, ſive ſublatum quadrigarum curſum, hoc eſt miſſum illum eſſe finitum ſignificabat. ait ergò: non modo ovum illud ſublatum non eſt, quod in circo finem faceret, ut quadrigis, & in menſâ ſecundâ adminiſtraretur, ſed nec illud quidem viſum,

ſum, quod in pompâ Cereris ſolet eſſe primum, atque dapes etiam inchoare. Et apud majores quidem ſingulis convivis ſuæ certæ partes tribuebantur, poſtea in commune veſci, civilius viſum: auctor Plutarchus libro II. Sympoſiacon, quæſtione X. Accipiebantur verò exquiſitiſſimis epulis: & ſupra omnem rei fidem ſumptuoſis. Lucullum extemporali cenâ, quam ut cotidianam Ciceroni, & Pompejo dedit, μυριάδας πέντε, hoc eſt, ferè quinque ſcutatorum millia inſumpſiſſe, Plutarchus tradit in ejus vitâ. Sed quantò magnificentius Æſopus hiſtrio tragicus, cui una tantum patina quindecim ſcutatorum millibus conſtitit: refert id Plinius libro X. capite LI. his verbis: *Maximè inſignis eſt in hac memoriâ Clodii Æſopi tragici hiſtrionis patina, ſexcentis ſeſtertiis taxata, in quâ poſuit aves cantu aliquo, aut humano ſermone vocales millibus ſex ſingu-*

las coemptas; ſex enim millibus legitur in manuſcriptis Plinii codicibus, & apud Tertullianum libro de Pallio, hoc eſt, ſcutatis centum ferè & quinquaginta ſingulas: cujus filius ne patri in luxu cederet, ſingulos uniones aceto tabefactos, & reſolutos convivis abſorbendos dedit. auctor Plinius libro IX. capite XXXV. loquens enim de unione illo Cleopatræ *centies ſeſtertium*, (hoc eſt ſcutatorum ducentis quinquaginta millibus æſtimato;) quem ipſa ſimili modo liquefactum abſorbuit. *Prior id*, inquit, *fecerat Romæ in unionibus magnæ taxationis Clodius tragœdi Æſopi filius, ut experiretur in gloriâ palati, quid ſaperent margaritæ: atque ut mirè placuere, ne ſolus hoc ſciret, ſingulos uniones convivis abſorbendos dedit.* Ceterum unionem, quem ipſe abſorbuit *decies ſeſtertium* (hoc eſt, viginti quinque ſcutatorum millibus) æſtimatum ſcribit Horatius libro II. Satyrâ 3. cùm ait:

Filius

Filius Æſopi detractam ex aure
Metellæ,
Scilicet ut decies ſolidum abſorberet, aceto
Diluit inſignem baccam.

Seneca libro de Conſolatione ad Albinam capite x. *Apicius*, inquit, *noſtrâ memoriâ in eâ urbe, in quâ aliquando philoſophi veluti corruptores juventutis abire juſſi ſunt, ſcientiam popinæ profeſſus, diſciplinâ ſuâ ſeculum infecit: cujus exitum noſſe operæ pretium eſt: cùm ſeſtertium millies in culinam congeſſiſſet, cùm tot congiaria Principum, & ingens Capitolii vectigal ſingulis comeſſationibus hauſiſſet, ære alieno oppreſſus, rationes ſuas tunc primùm coactus inſpexit, ſuperfuturum ſibi ſeſtertium centies computavit, & veluti in ſummâ fame victurus ſi in centies vixiſſet, veneno vitam finivit. Quanta luxuria erat, cui ſeſtertium centies egeſtas fuit?* hæc Seneca. Millies vero ſeſtertium, vicies quinquies centena millia ſcutatorum

ſunt: ut centies ducenta quinquaginta millia. Atque hujuſmodi quidem privatorum convivia Romæ fuere. Quoties autem Imperator intererat, multum opulentiæ adjiciebatur. Suetonius de Vitellio Imperatore: *Sed vel præcipuè*, inquit, *luxuria, ſævitiæque deditus, epulas, trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat, in jentacula, & prandia, & cenas comeſſationeſque, facilè omnibus ſufficiens vomitandi conſuetudine: Indicebat autem aliud alii eodem die, nec cuiquam minus ſinguli apparatus quadrigenis millibus nummum conſtiterunt. famoſiſſima ſuper ceteras fuit cena ei data adventitia à fratre; in quâ duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem avium appoſita, traduntur. Hanc quoque exuperavit ipſe dedicatione patinæ, quam ob immenſam magnitudinem clypeum Minervæ πολιέχε, dictabat. In hac ſcarorum jocinera, phaſianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum,*

rum, murenarum lactes à Carpathio uſque, fretoque Hiſpanico per navarchos, ac triremes petitarum commiſcuit. Porrò, quod ait, jentacula, aut prandia, aut cenas, aut comeſſationes ſingulis quadringenis millibus (ſic enim legitur in vetuſtis codicibus) conſtitiſſe: id decem millibus ſcutatorum æſtimari poteſt. Patinam verò ab ipſo dedicatam viginti quinque millibus ſcutatorum conſtitiſſe auctor eſt Plinius, qui libro XXXV. capite XII. de eâ ſic ſcribit, ut quidem legitur in vetuſtiſſimo codice: *At Hercules Vitellius in principatu ſuo decies ſeſtertium condidit* (al. *condivit*) *patinam: cui faciendæ fornax in campis exædificata erat.* Eam fictilem principio inſtitutam: deinde quia commodè fieri non poterat, argenteam factam, refert Dio in Vitellio his verbis: *μίαν-γοῦν ποτε λοπάδα πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδων ἐσκεύασε, γλώττας τε καὶ ἐγκε-*

ἐγκεφάλους καὶ ἥπατα καὶ ἰχθύων καὶ ὀρνίθων τινῶν ἐμβάλλων. καὶ ἐπειδὰν ἀδύνατον ἦν κεραμίαν τηλικαύτην γενέσθαι, ἀργυρᾶ τε ἐποιήθη, καὶ ἔμεινε πολλῷ χρόνον ὥσπερ τι ἀνάθημα μέχρις οὗ ἀδριανὸς αὐτὴν ἰδὼν συνεχώνευσεν. Suetonius item in Nerone; *Indicebat & familiaribus cenas, quorum uni mellita quadragies* HS. *conſtiterunt, alteri pluris aliquantò roſaria.* Sic habent vulgati libri. Verùm cùm ea ſumma fidem excedat, colligit enim ſcutatorum centum millia, peccatum eſſe à librario crediderim. Vetuſtus codex: Q. HS. *conſtitit*, ut ſit quadringentis ſeſtertiis, hoc eſt ſcutatorum decem millibus. Seneca verò in libro de Conſolatione ad Albinam matrem, de Cajo Caligulâ Imperatore ſic ſcribit capite IX. *C. Cæſar Auguſtus, quem mihi videtur rerum natura edidiſſe, ut oſtenderet quid ſumma vitia in ſummâ fortunâ poſſent, centies ſeſtertium cenavit uno die: & in hoc omnium*

omnium adjutus ingenio, vix tamen invenit, quomodo provinciarum tributum unâ cenâ fieret. Centies ſeſtertium æſtimari ducentis quinquaginta ſcutatorum millibus ſæpe jam diximus: quæ unâ in cenâ impendi poſſe nullâ ratione perſuaderi potuit Triumviro Antonio, cùm Cleopatra regali luxu perdita id ſe facturam polliceretur, ut refert Plinius libro IX. capite XXXV. Sed ne hæc mira videantur, adjicere libet quorundam piſcium (piſcibus namque ſumptuoſæ, & opiparæ cenæ magnâ ex parte conſtabant) pretia. Seneca libro Epiſtolarum XV. epiſtolâ XCVI. *Mullum*, inquit, *ingentis formæ (quare non pondus adjicio, & aliorum gulam irrito?) quattuor pondo & ad ſelibram fuiſſe ajebant, P. Octavius quinque ſeſtertiis emit.* id erit, ſcutatis CXXV. Sed cariùs multò Aſinius Celer, de quo hæc Plinius libro IX. capite XVII. *Aſinius Celer è Conſularibus*

ribus hoc piſce prodigus Claudio prin-cipe unum mercatus eſt octo millibus nummum, hoc eſt ſcutatis cc. adjicit: *non parum ad hoc mulli* (vulgo triglia dicitur) *pretium:* quod ut ait Macrobius libro III. capite VI. negat Plinius ſuâ hoc eſt, Claudii principis ætate facilè mullum repertum, qui duas libras pondo excederet. Sed aliquantò etiam magis: quod legitur apud Suetonium in Tiberio: *Tres*, inquit, *mullos triginta millibus nummum veniſſe graviter Tiberius conqueſtus eſt.* Id valet ſcutatos DCCC. Et Lucilius libro XIII. ſatyrarum,

——his itidem in cenâ oſtrea mille
Nummis empta.

Quis facilè crederet Lucilii ætate ſingula oſtrea mille nummis (hoc eſt ſcutatis decem) empta fuiſſe? Neque verò ſecundæ menſæ, quæ bellariis, mellitis, & pomis conſtabant, ſumptu primis cedebant: quando illi familiari Neronis, ut dixi-

diximus, mellita unius cenæ, decem millibus ſcutatorum conſtiterunt: & poma Varronis ætate Romæ in Sacrâ viâ *auro contra venibant*, ut ipſe refert libro I. de re ruſticâ, capite I. Plinius certè libro XV. capite XII. de perſicis, ita ſcribit: *Pretium jam ſingulis triceni nummi fuere, nullius majore: quod miremur: quia non aliud fugacius. Longinqua namque decerpto bidui mora eſt, cogitque ſe venumdari.* hæc ille. Tricenos autem nummos pluſquam novem drachmis, ſive Juliis argenteis æſtimare poſſis: ſed immenſum eſt ire per ſingula. De vinis tantummodo pauca dicam. Ea dabantur generoſiſſima partim tranſmerina, Leſbia, Chia, Coa, Græca. Plautus in Pænulo:

Ubi tu Leucadio, Lesbio, Thaſio, Coo, vetuſtate vino edentulo Ætatem irrigas,

partim Italica, ut Falerna, &c. & reliqua, quæ numerat Plinius libro

dediſſe, cùm apud ſe cenaret, tradit Plinius libro XIV. capite IV. cujus ſingulas uncias magno æſtimat. Quo autem vina leviora eſſent, ſacco frangebant eorum vires. Plinius libro XIV. capite XXII. *Quinimò*, inquit, *quò plus capiamus, ſacco frangimus vires. id caſtrare vina alii vocant, colo vinario infuſa*. Miniſtrabant verò pueri ætate pares, pretioſâ veſte ornati, potius quàm veſtiti: ut etiam puellæ: Virgilius Æneidis I.

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere Penates:
Centum aliæ, totidemque pares ætate miniſtri,
Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant.

Seneca libro I. de tranquillitate vitæ capite I. *Præſtringit animum apparatus alicujus pædagogii diligentiùs, quàm intra larem veſtita, & auro culta mancipia, & agmen ſervorum nitentium.*

tentium. & libro de vitâ beatâ capite XVII. *Quare apud te vinum ætate tuâ vetuſtius bibitur? quare pædagogium pretioſâ veſte ſuccingitur? quare ars eſt apud te miniſtrare: nec temerè, & ut libet collocatur argentum, ſed peritè ſeriatur: & aliquis eſt ſcindendi obſonii magiſter?* Puellas verò miniſtrantes menſis in marmoribus Romæ paſſim videmus. Suetonius in Tiberio: *Sexto*, inquit, *Claudio libidinoſo ac prodigo ſeni cenam eâ lege condixit, ne quid ex conſuetudine mutaret, aut demeret: utque nullis puellis miniſtrantibus cenaretur.* Miniſtrabant autem nunc à lateribus lectorum, nunc à pedibus: nam triclinia in medio cenationum ſternebantur: ut liber locus miniſtrantibus relinqueretur. Virgilius Æneidis I.

— mediiſque parant convivia tectis.

Et libro III.

Aulai in medio libabant pocula Bacchi,
Impoſitis auro dapibus.

Hi,

Hi, qui retro ſtabant, *à pedibus ſtare* dicebantur, ſive *ad pedes.* Seneca libro III. de Beneficiis capite XXVII. *Servus qui cenanti ad pedes ſteterat, narrat quæ inter cenam ebrius dixiſſet.* Suetonius de Galbâ Imperatore: *Cibi plurimi traditur, quem tempore hiberno etiam ante lucem capere conſueverat. Inter cenam verò uſque adeo abundantem, ut congeſtas ſuper manus reliquias, circumferri juberet, ſpargique ad pedes ſtantibus.* Suetonius de Caligulâ: *quoſdam Senatorum ſummis honoribus functos ad eſſedum ſibi currere togatos per aliquot paſſuum millia: & cenanti, modò ad pluteum, modò ad pedes ſtare ſuccinctos linteo paſſus eſt.* Martialis:

> *Omnia cùm retrò pueris obſonia tradas:*
> *Cur non menſa tibi ponitur à pedibus?*

Qui verò vinum miniſtrabant, *ad cyathum & vinum ſtare*, dicebantur. Suetonius in Cæſare: *C. Memmius etiam*

etiam ad cyathum & vinum Nicomedi ſtetiſſe objecit illi cum reliquis obſoletis, pleno convivio accubantibus nonnullis urbicis negotiatoribus quorum refert nomina. Eſt autem cyathus duodecima pars ſextarii: quem ſextarium Romani, ut aſſem, in duodecim uncias, quas cyathos appellabant, dividebant: his cyathis vinum metiebantur, atque inde frequens eſt apud auctores potare ſextantes, & reliquas aſſis partes, Martialis:

Poto ego ſextantes; tu potas Cinna deunces.

Sextantes, pro duobus cyathis poſuit, *& deunces* pro undecim. Hunc cyathum miniſtrantes manu tenebant: ut quod quiſque poſceret, metiri poſſent. Hinc apud Plautum in Perſa, puer, qui erat ad cyathum;

At tibi ego, inquit, *hoc continuò cyatho oculum excutiam tuum*; Conſtituebant & Regem vini ſive Magiſtrum potandi. Varro libro xx. rerum

rerum humanarum : *In conviviis, qui ſint inſtituti potandi modiperatores*. Cicero in Catone, de conviviis: *Me verò magiſteria delectant à majoribus inſtituta, & is ordo, qui more majorum à ſummo adhibetur in poculis*. Incipiebant verò miniſtrare ab iis, qui in ſummo accumbebant. Inde toties eſt apud Plautum :

Da puere ab ſummo.

Cornelius Tacitus libro III. *In convivio Germanici, cùm ſuper eum Piſo diſcumberet, infectos manibus ejus cibos arguentes*. quamquam Servius ad illud Æneidis I.

Poſtquam prima quies epulis, menſæque remotæ :

licet ſub extraneâ perſonâ, inquit, *Romanorum tamen exequitur morem; apud quos duæ menſæ erant, una epularum, altera poculorum :* & Æneidis VIII.

Hæc ubi dicta, dapes jubet & ſublata reponi.

Pocula. Suetonius in Claudio : *Con-*

Convivæ, qui pridie ſcyphum aureum ſurripuiſſe exiſtimabatur, revocato in diem poſterum, calicem fictilem appoſuit. Ex quibus apparet pocula ipſa apponi ſolita, non à miniſtris porrigi. ſic Cleopatram Ægypti reginam in ſolenni cenâ, quam Antonio dedit, refert Plutarchus ſingulis Antonii amicis quos ſimul convivio acceperat, donaſſe lectum, ac ſtragulum, in quo accubuerat, & vaſa, quæ cuique lecto diſpartita erant. Plutarchi verba appoſui: τῶν δὲ ἡγεμόνων ἐφ' ἧς ἕκαστος κατέκειτο κλίνη, καὶ τὰ κυλίκια καθὼς ταῖς στρωμναῖς ἐμεμέριστο, ἑκάστῳ φέρειν ἐπέτρεψε. Quoties autem pretioſa fercula inferebantur, miniſtri coronati ac cum tibicine procedebant. Sambonicus apud Macrobium libro III. capite XVI. ad Severum Imperatorem ſcribens de acipenſere (vulgò ſturio appellatur) ita ait: *Gratiam ejus video ad epulas quaſi poſtliminio rediſſe. Quippe qui di-*

gnatione veſtrâ cùm interſum convivio ſacro; animadverto hunc piſcem à coronatis miniſtris cum tibicine inferri. Inter cenandum, acroamata omnis generis adhibebantur; nam aut ſymphonia perſonabat triclinium, aut inſtrumenta, organaque varia concinebant, aut tragœdiæ, comœdiæ, mimique agebantur, aut ſpectacula alia jucunda inducebantur: incendebantur & odores naribus gratiſſimi. Seneca de Vitâ beatâ capite XI. *Aſpice*, inquit, *Nomentanum, & Apicium terrarum, ac maris, ut iſti vocant, bona conquirentes, & ſuper menſam recognoſcentes omnium gentium animalia. Vides hos eoſdem è ſuis lectis ſpectantes popinam ſuam, aures vocum ſono, ſpectaculis oculos, ſaporibus palatum ſuum delectantes, mollibus lenibuſque fomentis totum laceſſitur eorum corpus. & ne nares interim ceſſent, odoribus variis inficitur locus ipſe, in quo luxuriæ parentatur.*
Sic & Plautus in Menæch.

Ster-

Sternite lectos, incendite odores.

Hinc apud Virgilium Æneidis I. in convivio Didonis:

——citharâ crinitus Iopas
Perſonat aurata.

Et Livius libro XXIX. *Tunc pſaltriæ ſambuciſtriæque & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis.* Macrobius libro II. Saturnalium capite IV. de Auguſto, *Delectatus*, inquit, *inter cenam erat pueris ſymphoniacis Turonii Flacci mangonis: atque eos frumento donaverat, cùm in alia acroamata fuiſſet liberalis nummis.* Hinc in marmoreis tricliniis fidicinas, & aulœdos ſcalptos videmus: Plautus in Sticho;

Lectos eburatos, auratos, Babylonia periſtromata.
Conſutaque tapetia, fidicinas, tibicinas, ſambucinas.

Macrobius item libro II. capite VII. *Pylades hiſtrio cùm in Herculem furentem prodiſſet, ſagittas injecit in populum: Eandem perſonam cùm in triclinio*

clinio ageret, & intendit arcum, & ſpicula immiſit. Elephantos etiam inductos, refert Plinius libro VIII. capite II. *Plenis*, inquit, *hominum tricliniis accubitu elephantes jere per lectos, ita libratis veſtigiis, ne quis potantium attingeretur.*

***

Multa quidem alia, præterquam quæ ab authore hic noſtro recenſentur, addita fuiſſe epulis acroamata, & convivalia ludionum oblectamenta, paſſim videre eſt apud varios authores; nos uno Pignorio contenti, de hiſce, & aliis ſimilibus illum aliquantiſper differentem, ad majorem antiquitatis elucidationem inſerere voluimus. Sic autem ille. O luem morum! comœdi ſanè, & hiſtriones, archimimi, & pantomimi familiares in convivium inducti frequenter ſunt; & hoc jam inde ab Aſiatica illa præda, quæ Romanam frugalitatem afflixit, ſeu verius perdidit. Livius noſter liber XXXIX. *Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu Aſiatico invecta in urbem eſt. ii primum lectos æratos, veſtem ſtragulam precioſam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnifica ſuppellectilis habe-*

habebantur, monopodia, & abacos Romam advexerunt. tunc pſaltriæ, ſambuciſtriæque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis. D. Auguſtinus in eandem ſententiam libro III. de Civitate Dei capite XXI. *tunc enim primùm lecti ærati, & precioſa ſtragula viſa perhibentur. tunc inducta in convivia pſaltriæ, & alia licentioſa nequitia.* Notat de luxu Metelli Salluſtius libro II Hiſtoriarum, *ad cœnam invitate, exornatas fuiſſe ædes per aulæa, & ſigna, ſcænaſque ad oſtentationem hiſtrionum fabricatas.* Marius apud eundem in Jugurth. *ſordidum me, & incultis moribus, ajunt, quia parum ſcitè convivium exorno, neque hiſtrionem ullum, neque pluris precii coquum, quàm villicum habeo.* Plinius junior libro III. epiſtolâ I. *frequenter Comœdis cœna diſtinguitur, ut voluptates quoque ſtudiis condiantur.* Pantomimorum artem delineabit nobis vetus Poëta;

Nam cùm grata chorus diffundit cantica, dulcis
Quæ reſonat cantor motibus ipſe probat.
Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, adſtat,
Inluſtrat verum, cuncta decore replet,



E Muſæo. A. Coradini. I. C. Pat.

Tot linguæ, quot membra viro. mirabilis ars eſt.
Quæ facit articulos ore ſilente loqui.

Eſt autem apud ALOYS. CORRADINUM ſigillum æreum vetuſtiſſimum, quod perſonatum quendam ex hoc grege referat; cujus hic nos typum dabimus, & his uſui futurum, quæ diximus, & carminibus Juvenalis Satyrâ III.

—— ipſa dierum
Feſtorum, herboſo colitur ſi quando theatro
Majeſtas, tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, cum perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans.


Verùm ulterius etiam progrediente luxu, quàm ut his finibus concluderetur, MORIONES etiam, utut deformes, & monſtroſi, in convivium animi gratia recepti ſunt. Martialis libro II.

Opimianum morionibus nectar
Chryſtalliniſque murrhiniſque propinat.

horum formam, & elegantiam tangit, idem auctor libro VI. XXXVI.

Hunc verò acuto capite, & auribus longis,
Quæ ſic moventur, ut ſolent aſellorum,
Quis Morionis filium neget Girthæ?

ſtuporem verò, cujus gratia inter cete-


Icones Morionum
ex Caſalio

ra comparabantur, idem notavit: libro XIV. CCX.

MORIO.

Non mendax ſtupor eſt, nec fingitur arte doloſa.
Quiſquis plus juſto non ſapit, ille ſapit.

Ita ut beatulis hiſce noſtris pateat non ſcripſiſſe Ulpianum in lege IV. ff. de ædilitio edicto. *fatuum, vel morionem vitioſum videri.* Hic erat nimirum luxus eruditus, nihil amœnum, & molle arbitrari, niſi quod novitas, & rectè ſentientium contemptus viris perditis commendarent. Plutarchus *De curioſitate* ſanè teſtatur, fuiſſe Romæ quoſdam monſtrorum conquiſitores, qui venalium formoſitatem odio habentes, forum morionum frequentarent. hi ſunt (ni fallor) γελωτοποιοὶ, quos Lucianus commemorat, è quorum numero delineat, neſcio quem deformem, deraſo capite, pauculos capillos in vertice geſtantem, eoſque in criſtam conformatos. Seneca Epiſt. L: *Harpaſten uxoris meæ fatuam, ſcis hæreditarium onus in domo meâ remanſiſſe. ipſe enim averſiſſimus ab iſtis prodigiis ſum. ſi quando fatuo delectari volo, non eſt mihi longè quærendus. me rideo.* Plinius junior

nior libro IX. epiſtolâ XVII. *accepi tuas literas, quibus quereris tadio tibi fuiſſe, quamvis lautiſſimam cœnam, quia ſcurra, cinadi, moriones menſis inerrabant.* NANI quidem & NANÆ Sybaritarum deliciæ, morionibus collati neſcio, quid Veneris habuerunt. Suetonius in Tiberio capite LXI. *Annalibus ſuis vir conſularis inſeruit, frequenti quondam convivio, cui & ipſe affuerit, interrogatum eum ſubitò, & clarè à quodam nano adſtante menſa inter copreas, cur Paconius majeſtatis reus tam diu viveret.* Lampridius de Alex. Sever. *Nanos, & nanas, & moriones, & vocales exoletos, & omnia acroamata, & pantomimos populo donavit.* Hæc autem fuerant Elagabali miniſteria, quæ Imperator Alexander averſabatur, ad Auguſti fortaſſe æmulationem, Suetonius in Auguſto, capite LXXXIII. qui pumilos, atque diſtortos, & omnes generis ejuſdem, ut ludibria naturæ, malique ominis abhorrebat. SCURRÆ autem, & ipſi menſis adſtabant, convivas dicteriis ad hilaritatem provocaturi. Plinius objurgans tædium amici, qui in propudioſum illud, cujus nuper meminimus, convivium impegerat, retuleratque domum pro apophoretis nauſeam, & ſtomachum:

chum: *vis tu remittere aliquid ex nugis? equidem nihil tale habeo, habentes tamen fero. cur ego non habeo? quia nequaquam me ut inexpectatum, feſtivumque delectat, ſi quid molle à cinædo, petulans à ſcurrâ, ſtultum à morione profertur.* Idem in Panegyrico: *neque enim aut peregrinæ ſuperſtitionis myſteria, aut obſcœna petulantia menſis Principis oberrat, ſed benigna invitatio, & liberales joci, & ſtudiorum honor.* Inter hos nobilis fuit Sarmentus ille, cujus velitationes cùm Cicerro, commemorat Horatius libro I. Satyrâ v. de quo etiam Juvenalis. Satyrâ v.

Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæſaris ad menſas, nec vilis Galba tuliſſet.

ubi gloſſator antiquus notat, Sarmentum formâ, & urbanitate demeruiſſe ſibi plurimos. Auguſto ſanè olim placuerat lepôre, & feſtivitate, ut notat Plutarchus de *M. Anton.* qui etiam tradit hujuſmodi pueris Romanos DELICIORUM nomen impoſuiſſe. & quidem illi pueros urbanos, & procaces, delicias, & delicia appellabant, ut Statius;

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias, doctumquè ſui convicia Nili

Infantem, linguaque ſimul, ſalibuſque pro-
teruum
Dilexi. ——

quod & ad paſſerem tranſtulit Catullus, & ad columbam Martialis libro I. VIII. Honeſtarunt tamen etiam hac appellatione flagitioſam illam, & nefariam impudicitiam, quæ virilem olim ſexum turpiſſimè infecerat. teſtis Prudentius libro I. adverſus Symmachum.

Quid loquar Antinoum cœleſti ſede locatum?
Illum delicias nunc divi Principis, illum
Purpureo in gremio ſpoliatum ſorte virili?

At Græci in aſotiâ, & nequitiâ naviter elegantes, in tricliniis, ut teſtatur Vitruvius libro VI. capite X. ludiorum, operis locum apparabant, à quibus & hunc morem arripuiſſe Romanos (ut alia etiam multa) diximus nuper. Et eò ſanè alludit Seneca de beatâ vitâ capite II. *vides hos eoſdem è lectis ſuis ſpectantes popinam ſuam, aures vocum ſono,* SPECTACULIS *oculos, ſaporibus palatum delectantes? mollibus, lenibuſque fomentis totum laceſſitur eorum corpus, & ne nares interim ceſſent* ODORIBUS *variis inficitur locus ipſe, in quo luxuria parentatur.* Silius Italicus libro II.

Nec



pa.

Nec luxus ullus, merſaque libidine vita
Campanis modus: accumulant, variaſque per artes
Scenarum, certant epulas diſtinguere ludo.

Alcimus Avitus, libro III. capite X. ad ſuffimentorum, quod diximus, miniſterium reſpiciens,

Vivida quin etiam miſcebant Cynnama talli:
Et ſuffita domus pingui fragrabat amomo.

Sidonius libro IX. epiſtolâ XIII.

Manus uncta ſucco amomi
Demat hiſpidos capillos:
Arabumque meſſe pinguis,
Petat alta tecta fumus.

Gladiatores poſtremò (quod animus meminiſſe horret) in convivium recepti ſunt à quibuſdam, adeo familiariter, ut non poſſim non mirari præpoſterum philoſophi *Max.Tyr.Serm.*XII. hominis conſilium, qui non has tragicas cœnas, ſed Ænianum in convivio improbavit ludicram pugnam. Silius *libro* II. Campanis tribuit;

Quin etiam exhilarare viris convivia cæde
Mos olim, & miſcere epulis ſpectacula dira
Certantum ferro ſæpè, & ſuper ipſa cadentum
Pocula, reſperſis non parco ſanguine menſis.

Quàm

Quàm conveniunt hiſce cruentis ſpectaculis illa Pètri Chryſologi? *in arenam vertitur domus, menſa migrat in caveam, fiunt de pranſoribus ſpectatores, furore mutatur convivium, fit cibus cædes, vinum tranſit in ſanguinem.* Hactenus Pignorius; cum quo à ſpectaculis hiſce cruentis diſcedere ac materiam hanc miſſam facere eſſet animus, niſi nos ludicra veterum ſaltatio ſuper utres vino vel flatu plenos; & extrinſecus oleo lixiviâve unctos: aliquantulum adhuc detineret. & dum ſingula quaſi antiquorum perſequimur acroamata, feſtiviſſimum hunc in conviviis ſaltandi modum ſilentio involvere vetaret par nobile antiquariorum, Mercurialis & Licetus. quorum ille libro II. artis Gymnaſticæ capite XI. Sic eum nobis depingit. *Erant quoque qui ſupra utres oleo unctos & vino plenos pedibus ſaltarent; inter quos victores ii cenſebantur, qui ita dexterè ſe gerebant, ut præ lubricitate humi non caderent. atque hi pro victoria præmio utrem cum vino ferebant: qui verò terram natibus percutiebant, non ſine magnâ voluptate ſpectatoribus riſum movebant. Id autem antiquitus obſervatum in ludis Baccho dicatis, quos ἀσκωλία vocabant, proditur: in quibus utres caprinis pellibus conflati ſaltibus calcabantur,*


Atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos saliere per utres.
Apud Petrum Stephanonium in Gemma.

bantur, in caprarum contemptum, quæ adeo vitibus infeſta creduntur. De hoc Ariſtophanes in Pluto: hic ſub dio ſupra utrem ſalta, *& Eubulus apud Ariſtophanis interpretem:* Quare utrem in medio collocantes ſupra ipſum ſaltate, & eos qui humi ceciderint, cachinno proſequimini. Do his etiam *Virgilius* II. *Georgicorum.*

—— Atque inter pocula læti.
Mollibus in pratis unctos ſalière per utres.

Sed illud non ignorandum quod ſcriptum eſt apud Julium Pollucem ἀσκωλιάζειν *tam de his, quàm de uno ſublevato pede, altero ſolo ſaltantibus, dictum eſſe apud veteres.* Hucuſque Mercurialis; nos ex Liceto, picturam apponimus, quem ſimul etiam ſuper hac re, ne nimis hic longi ſimus, ſtudioſis antiquitatis conſulendum proponimus in libro doctiſſimo de Gemmis, & Anulis antiquorum, capite CXVII. nos enim Ciacconium denuo loquentem audire juvat.

* *

Quibus omnibus cùm placebant, corollaria dabant convivii Domini, ut de Auguſto ex Macrobio ſupra jam retuli. Cicero in Verrem IV. *Cenabat*

nabat apud Eupolemum, argentum ille, ceterum purum appoſuerat, ne purus ipſe relinqueretur: duo pocula non magna, verumtamen cum emblematis: Iſte quaſi feſtivum acroama, ne ſine corollario de convivio diſcederet, ibidèm convivis ſpectantibus emblemata evellenda curavit. Atque hæc quidem in privatis conviviis: nam cùm aut Princeps ipſe invitabat, aut nuptiæ celebrabantur, aut cenæ Pontificales, Augurales, triumphaleſve, aut cùm epulum in magni alicujus viri funere populo dabatur, multò plures numero conveniebant, quàm ſuprà diximus: & apparatus magnificentior eſſe ſolebat. Suetonius in Caligulâ de eodem: *Nepotinis ſumptibus omnia prodigorum ingenia ſuperavit: commentus novum balnearum uſum, portentoſiſſima genera ciborum, atque cenarum, ut calidis, frigidiſque unguentis lavaret, pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorberet, convivis ex auro panes, & obſonia apponeret,*

aut

aut frugi hominem eſſe, oportere dictitans, aut Cæſarem. Idem de Claudio Imperatore: *Convivia agitavit, & ampla, & aſſidua ac ferè patentiſſimis locis, ut plerumque ſexcenteni ſimul diſcumberent*; & de Tiberio: *Prandium dehinc populo mille menſis, & congiarium tricenos nummos viritim dedit; quod ante Craſſus fecerat, cùm decimam Herculi polluceret*, de quo Plutarchus: ἡρακλεῖ inquit, μεγάλην θυσίαν ποιησάμενος, εἱστίασε τὸν δῆμον ἀπὸ μυρίων τραπεζῶν, καὶ σῖτον ἐμέτρησεν εἰς τρίμηνον. Julius verò Cæſar populum invitavit viginti duobus millibus tricliniorum, eodem Plutarcho auctore. Sic enim ſcribit: τὸν δῆμον ἀνελάμβανεν ἑστιάσεσι καὶ θέαις, ἑστιάσας μὲν ἐν δισμυρίοις καὶ δισχιλίοις τρικλίνοις ὁμοῦ σύμπαντας. Centum enim & L. hominum millibus uno tempore cenam paravit, ad quam ab uno tantum Hircio ſex millia murænarum ad pondus mutuò ſumpta plures au-

ctores

ctores tradunt, ex quo reliquam magnificentiam æſtimare licet. Pontificalis cenæ indicem licet antiquæ parſimoniæ habes apud Macrobium libro III. capite XIII. Dabant & principes epulum nonnunquam Senatorio tantum ordini, interdum & Equeſtri. Suetonius de Caligulâ: *Congiarium populo bis dedit trecenos* HS. *toties abundantiſſimum epulum Senatui & Equeſtri ordini, etiam conjugibus ac liberis utrorumque, poſteriore epulo forenſia inſuper viris, pueris, ac feminis faſcias purpuræ ac conchylii diſtribuit.* Hæc autem quæ abeuntibus convivis à convivii domino dabantur, *apophoreta* dicebantur, voce Græcâ, ſed Latinis etiam auctoribus uſurpatâ: ut ea fuerunt, quæ Cleopatram Ægypti Reginam Antonii comitibus dediſſe, ſuprà diximus. Suetonius de Caligulâ: *Agitatori Eutycho comeſſatione quàdam in apophoretis vicies* HS. *contulit.* S. Ambroſius in exhortatione ad Virgines: *Qui*

Qui ad convivium, inquit, *magnum invitantur, apophoreta ſecum referre conſueverunt, &c.* Et ille qui Ambroſii nomine circumfertur in Epiſtolâ ad Epheſ. cap. III. *Sicut enim in cenâ magnâ dantur apophoreta, &c.* Illud non omiſerim ambiſſe quoſdam magno conatu, & ingenti nonnunquam pretio redemiſſe à vocatoribus, ut convivio principis adhiberentur. Suetonius in Caligulâ; *Compererat provincialem locupletem ducenta* HS. *numeraſſe vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur: nec tulerat moleſtè tam magno æſtimari honorem cenæ ſuæ, &c.* Porro ducenta ſeſtertia quinque millia ſcutatorum ſunt. Ceterum ut ad inſtitutum ordinem redeam, poſt prandium iterum manus lavabant. Macrobius libro III. capite VI. ex Veratio Pontificali ſic ſcribit: *Pinariis, qui noviſſimi comeſo prandio veniſſent, cùm manus pranſores lavarent, præcepiſſe Herculem, &c.* Tertullianus in Apologetico

logetico de conviviis Chriſtianorum : *Non prius diſcumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur : editur quantum eſurientes capiunt, bibitur quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur. ut qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe : ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem, & lumina: ut quiſque de ſcripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medio Deo canere. hinc probatur quomodo biberit : æque oratio convivium dirimit, inde diſceditur.* hæc ille. & nos quoque à tam luxurioſis, & profanis Romanorum conviviis diſcedemus, ſi prius locum quendam Philonis Judæi ex libro. De vitâ contemplativâ integrum exſcripſerimus : *Sed fortaſſe*, inquit, *probabit aliquis, morem hunc conviviorum jam vulgò receptum apud Græcos, atque barbaros, à Romanis inventum, non tam ad hilaritatem, quàm ad oſtentationem deliciarum, & opulentiæ. Triclinia lectos habent eburneos, aut teſtudineos, aut pretio-*

Pincerna, Pateram dextera, Phialam sinistra manu geſtans



pretioſioris materiæ, gemmatos plěroſque ſtratos auro intexta purpura, vel aliis floridis coloribus variis oculos allicientibus: poculorum etiam vim magnam digeſtorum per ſuas ſpecies. Præſto ſunt enim ſcyphi, calices, phialæ, thericlea, toreumataque clarorum artificum: miniſtrantibus formoſis mancipiis non tam ad præſens miniſterium quæſitis, quàm ad exhilarandos aſpectu convivarum oculos. Ex iis minores pueri pincernas agunt, grandiores aquam afferunt: loti, & nitidi, fucatique ac cincinnati: (alunt enim capillitium) vel omnino intonſi, vel à fronte tantum præſectis in orbem crinibus, tenuiſſimas candidaſque præcincti tunicas anteriore parte ad genua demiſſas, poſteriore ad poplites, utrimque mollibus tæniis aſtricti commiſſuras tunicæ propendentibus ad latera finibus. Sic ornati adſtant nutus obſervando, quid quiſque poſtulet. Adſunt & alii adoleſcentes primâ lanugine malas veſtiti: qui paulò ante amatorum ſuorum deliciæ fuerant, curioſè

rioſe docti gravioris momenti miniſteria mera oſtentatio magnæ opulentiæ, ut convivæ ſplendore ſtupefacti facilè intelligant à quanto viro, quamque magnifico ſint ad menſam communem adhibiti: cùm tamen totum hoc negotium verâ æſtimatione aliud non ſit, quàm ſtolidus luxus hominis abutentis fortunæ beneficio, ſicut teſtari poſſunt, quibus comperta ſunt talia. Huc accedunt variæ bellariorum, obſoniorum, condimentorumque ſpecies, elaboratæ à pictoribus, & cupediariis, quorum eſt cura non tantum guſtui ſatisfacere, verùm etiam oculos exhilarare mundiciis. Sic fit, ut ſeptem, vel etiam plures menſæ inferantur plenæ omnium, quæ terra, mare, amnes, aërque ferunt ſelectis ſuaviſſimis carnibus terreſtrium, aquaticorum, & volucrum, paraturâ ſimul, ac conditurâ variantibus. Ac ne quid prætermittatur naturæ munerum, tandem apponuntur poma nuceſque dapſiliter, ſervatis aliis ejuſdem generis ad comeſſationes, quas vocant.

vocant. Deinde aliæ patinæ efferuntur vacuatæ à convivis voracibus, more fulicarum explentibus ſe in tantum, ut oſſa etiam arrodant: alia cum fœdè diſcerptis, ſemeſiſque reliquiis. Ubi verò uſque ad fauces expleti, nil poſſunt ampliùs, edendo laſſati, appetitu eſuriunt, oculos paſcendo, carnium opimarum copiâ, nidorem verò exhalantem attrahendo naribus. Poſtremò his quoque ſenſibus ſaturatis, faciunt mentionem de habitu, egregiè collaudatâ convivatoris magnificentiâ, &c.

Atque ut ad id tandem veniam, cujus gratiâ hæc omnis à nobis eſt ſuſcepta atque inſtituta oratio: in his conviviis, quæ Dominus, & Redemptor noſter dum inter homines verſaretur, iniſſe memoratur, omnia more Romano adminiſtrata fuiſſe, certis quaſi indiciis reperiemus. Sive quod id omnium gentium approbatione in conſuetudinem eſſet perductum, ut ex iis, quæ ſcripſi ſuperius, facilè colligas: ſive quod

Hebræi jam inde à Pompejo in ditionem, poteſtatemque Romanorum redacti (ut erat ea gens in iis, quæ patriis legibus non obviarent, in adulationem profuſa) ad victoris dominantiſque populi inſtituta ſe victiſque ſui rationem accommodaverant. Nam ut ea omnia, quæ ſupra dixi, compendio repetam: Romani tribus lectis in cenaculo ſtratis apparabant convivia: & Chriſti diſcipuli cenam illam apparaturi, quæ ante Paſſionem extrema fuit, *invenerunt cenaculum grande ſtratum, atque ibi paraverunt.* Tribus autem lectis eos cenaſſe illud indicio eſt: quod cùm tredecim eſſent, in eandem omnes patinam porrigebant manus. quod ſi menſæ perpetuæ fuiſſent, fieri haud quaquam poſſet. *Qui intingit*, inquit, Dominus, *manum in paropſide, hic me tradet*: neminem unum hac voce deſignans: cùm id omnes ex æquo facerent. Romani lauti, & uncti con-


pag. 98

vivia inibant, & Chriſti diſcipulos lautos accubuiſſe ex eo conjectari poſſumus, quòd cùm Petrus primò negaret futurum unquam, ut ſibi Chriſtus pedes ablueret: deinde tam minaci reſponſo territus, non ſolum pedes, ſed & caput & manus abluendas offerret, audit à Domino: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, & eſt mundus totus.* quo ſignificari videtur, illos lotos diſcubuiſſe, nec debuiſſe abluere niſi ſiquid ſordium pedes inter veniendum fortè contraxerant. Et alioqui Iudæi omnes, Euangeliſtâ Marco teſtante, niſi crebrò laviſſent manus, non manducabant: & à foro niſi baptizarentur, cibum non ſumebant. Hinc apud Lucam Phariſæus ille, qui Dominum invitaverat, mirabatur, quod Chriſtus non baptizatus eſſet ante prandium. Verùm obiter notandum videtur id, quod ſuperiori ſententiæ Chri-

ſtus adjecit: *Vos autem mundi eſtis, ſed non omnes:* ambiguè poſitum eſſe. Diſcipuli enim intellexerunt, ſe non omnes partes corporis mundas habere: ideòque eorum pedes ablutione indigere: Chriſtus autem non omnes duodecim à peccato eſſe mundos, etiam intelligi voluit: quod ut explicaret Joannes, adjecit: *Sciebat enim quis nam eſſet, qui traderet eum, propterea dixit: Non eſtis mundi omnes,* Uſus eſt & alibi hac verborum ambiguitate Dominus. nam cùm Judæi ab eo ſignum peterent: *Solvite*, inquit, *templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud:* quod verbum ipſi cùm de Salomonis templo dictum acciperent, reſponderunt: *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Sed errorem eorum arguens Ioannes: *Ille autem*, ait, *dicebat de templo corporis ſui.* Unctos verò fuiſſe, illud perſuadere videtur, quòd veriſimile ſit

ſit id ab opulento illo patre familias, qui eos exceperat non prætermiſſum, cùm percrebuiſſet jam, & in ore omnium eſſe cœpiſſet; Chriſtum objeciſſe Simoni, quòd ab eo invitatus ad cenam, id officii non exhibuiſſet: *Veni*, inquiens, *in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, oleo caput meum non unxiſti.* & ab hujuſmodi unctione Dominum non abhorruiſſe: ex eo apparet, quòd inter divina illa præcepta: *Tu autem*, ait, *cùm jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava*: ut prandiſſe videlicet jam, non adhuc jejunus eſſe videaris. Romani accubituri veſtem mutabant. & Chriſti diſcipulos veſtem mutaſſe inde cognoſci poteſt, quòd adoleſcens ille (Euangeliſtam Ioannem fuiſſe S. Ambroſius atque alii teſtantur) qui à cena in hortum cum Chriſto ſeceſſerat, *amictus ſindone ſuper nudo* traditur fuiſſe, quaſi veſte adhuc cenatoriâ indutus: quod ſi ſolitum illi, &

quotidianum fuiſſet, non utique ab Euangeliſtâ id memoriæ traderetur. & quidem in marmoribus Romanis accumbentes in tricliniaribus lectis magnâ ex parte unâ tantum veſte ſuper nudo tecti conſpiciuntur. Sed & ille, qui non indutus veſte nuptiali in convivium irrepſit, in tenebras exteriores projici jubetur. Manus lavabant illi ante cenam: & hos etiam abluiſſe credendum eſt, poſtquam à Phariſæis vitio eis datum fuerat, quòd illotis manibus cibum ſumerent; nam hujuſmodi ſcandala vitare nitebantur, *Ne ſcandalizemus eos*, ait Dominus Petro, *vade, da illis pro me & te*. Certè id Judææ genti in uſu fuiſſe, Phariſæorum exprobratio declarat. Accumbentes, non ſedentes cenabant Romani: Et hos ſimiliter accubuiſſe verbum ipſum accumbere, aut recumbere, quo ſemper utuntur Euangeliſtæ: ſed & quæ inferiùs dicam, ſatis declarant. Altis toris illi diſcumbebant:

bant: & tricliniares lectos, in quibus Chriſtus cenabat, altiores fuiſſe, hoc argumento eſt, quod mulier illa ſtans retro ſecus pedes ejus, ſtans, inquam, non procidens, non genu nixa, eos lacrymis rigat, & capillis tergit: quo lectorum altitudo evidenter oſtenditur. Soleas illi deponebant accubituri, nudiſque pedibus cenabant: & Chriſtus nudos diſcipulorum pedes abluit: & Maria ipſius Domini nudos pedes lacrymis rigat: cùm calciatum inceſſiſſe Chriſtum Baptiſta Ioannes innuat, negans ſe dignum, qui ejus calciamenta portaret: nam de ejus diſcipulis minus dubitatur, cùm Petro in robur, & vincla conjecto præcipiat Angelus, ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. Hieronymus in Eſaiam capite xx. *Calciamenta*, inquit, LXX. *ſandalia, id eſt, caligas vocant. Calcia te caligas tuas*: & apud Marcum legatur, miſiſſe illos Dominum, ut Euangelium prædicarent, non ha-

bentes æs in zonis, ſed tantum calciatos ſandaliis. Romani liberos ſuos, aut eos, quos caros habebant in conviviis infra ſe, hoc eſt, in ſinu ſuo collocabant (nam id eſſe in ſinu recumbere ſuperiùs oſtendi.) & Joannes Chriſto maximè carus, in ipſius ſinu recubuit, & in ejus pectus ſeſe quam familiariter rejecit, dum ex eo quærit, quis illum eſſet traditurus. Ambroſius in capite xv. Lucæ, ad illud, *Cecidit in collum ejus: Nonne*, inquit, *tibi videtur, Chriſtus cecidiſſe in collum Joannis, quando erat Joannes in ſinu Jeſu, cervice recumbens reflexâ? Et ideò verbum apud Deum vidit, quia erectus eſt ad ſuperna.* Regem ſacrorum, qui apud Romanos maximæ dignationis erat inter Pontifices, ſummum locum medii lecti in Pontificalibus cenis occupare ſolitum, neminemque ſupra eum accubare diximus: & in his Pontificalibus cenis Chriſtus verè Rex & Sacerdos ſecundum

cundum ordinem Melchiſedech, eundem locum occupat, nec quiſquam ſuper eum accubat: alioqui non potuiſſet Maria alabaſtrum unguenti effundere ſuper caput ipſius recumbentis, ſi in medio lecto accubuiſſet: aut ipſe Ioannem in ſinu habere, ſi in imo. Romani non rarò quini in lectis diſcumbebant, ut ſuprà retulimus & Chriſti diſcipuli, ut veriſimile eſt quini in duobus lectis diſcubuere, in reliquo autem tres tantum: ipſe nempe Dominus, & Ioannes, ac ſi divinare permittitur, Petrus: is enim veluti proximus Ioanni innuit, ut ex Domino auctorem tanti facinoris quæreret. In commune illi veſcebantur, ut ex Plutarcho ſuperius retuli, & ii in commune veſcuntur, omneſque in eandem patinam manus porrigunt. *Qui intingit*, inquit, *mecum manum in paropſide, hic me tradet.* Magiſtrum potandi, aut Regem vini illi conſtituebant: & hujuſmo-

di munus aliquod in illis nuptiis, quibus Chriſtus interſuit, architriclinum obiiſſe apparet: cùm illi aquam vinum factam Dominus afferri jubeat. Spectacula Romani, & varia acroamata inter cenandum adhibebant, òdoreſque ſuaves incendebant. Sed neque Chriſti conviviis ſua ſpectacula ſua acroamata, ſui odores, aut multò etiam jocundiores defuerunt. Quod enim ſpectaculum fuiſſe putamus cùm cæli & mundi Dominus poſitis veſtibus, ac linteo præcinctus in ſervilem modum ad pedes piſcatorum, atque diſcipulorum dejectus, ſuis eos manibus abluere, & linteo, quo erat præcinctus tergere ſpectatum eſt? Aut quod unquam aliud ſpectaculum tanto tamque immortali potuit convivas gaudio, ac voluptate perfundere? cùm id factum, & immenſi amoris, & perpetuæ Domini erga eos voluntatis argumentum inſigne foret?

Cum

Cum dilexiſſet, inquit Ioannes, *ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos: & cenâ factâ ſurgit à menſâ, & ponit veſtimenta ſua.* Comœdiæ apud Romanos inter epulas agebantur, ſed cujus comœdiæ cataſtrophe tantam rerum converſionem ſpectandam præbuit, quantam mulier illa in civitate peccatrix: quæ oculorum venuſtate, capillorum ornatu, oris ſuavitate, & munditiâ homines allicere, & ad ſe convertere ſolebat: ex illis ipſis oculis diſtillantibus inſtar rivi perennis lacrimis pedes Chriſti rigare, & ſuis illis crinibus illectoribus tergere, & ſuavi ore ſuaviari, atque illis affectuoſiſſima oſcula figere non ceſſabat? Aut quam voluptatem id etiam Angelis ſpectatoribus attuliſſe credimus, cùm ingens gaudium ſit in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente? Neque verò hoc tam gratum acroama ſine inſigni corolla-
 rio.

riò diſceſſit. nam ad mulierem converſus benignus Dominus : *Remittuntur*, inquit, *tibi peccata : fides tua te ſalvam fecit. vade in pace.* Iam quod acroama, quem ſymphoniæ cantum cum divino illo hymno compares? *Et hymno*, inquit, *dicto, exierunt in montem Oliveti.* Et quamquam ſuaviſſimus odor, tamquam è fragrantibus floribus afflaretur ex convivis ipſis, qui cum Paulo dicere poterant : *Nos autem bonus odor ſumus Deo ;* non defuerunt tamen illi convivio odores alii jocundiſſimi, *Effuſo enim alabaſtro unguenti nardi piſtici pretioſi, impleta eſt*, inquit, *domus ex odore unguenti.* Denique ut omnia (quemadmodum dixi) ſemel oſtendam ex Romanorum moribus tracta: qui convivis abeuntibus grata, & pretioſa ſolebant apophoreta conferre, liberaliſſimus, ac ſui nimium profuſus Dominus, ex hoc mundo ipſe diſcedens pretioſiſſimum corpus ſuum & ſanguinem con-

convivis in apophoretis dedit, ut ſibi haberent, ut ſecum domum deducerent: ut iter ingredientibus, etiam pro viatico foret. Reſtat, ut quoniam Romani ambiebant, & magno etiam interdum pretio redimebant, ut inter amicos principis ejus epulis intereſſent: ambiamus & nos quoque qui ſectatorum Chriſti nomine cenſemur: ut peccatorum ſordibus ablutos, bonorum operum unguento nitidos, nuptiali & convivali ſtolâ innocentiæ indutos, terrenorum affectuum nexibus liberatos, ſuis magnificentiſſimis epulis princeps noſter adhibeat: Ut edentes, & bibentes ſuper menſam ejus, illa ſpectacula ſpectemus, illa acroamata audiamus, illa gaudia gaudeamus: quæ neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis aſcenderunt.

Ambro-

Ambroſius libro de Eliâ, & jejunio capite XVII. *Per cornu etiam fluentia in fauces hominum vina decurrunt: & ſiquis reſpiraverit, commiſſum flagitium, ſoluta acies, loco motus habetur.* Philo libro de Ioſeph. ἑξῆς δὲ περὶ στά-ξαντες κατὰ τὰς ἡλικίας καθίζεσθαι μήπω γὰρ ἀνθρώπων ἐν ταῖς συμποτικαῖς συνουσίαις κατακλίσει χρωμένων.


TRICLINIVM PATAVINVM.
in ædibus Rhamnuſianis

FULVI URSINI APPENDIX AD LIBRUM PETRI CIACCONII DE TRICLINIO

ALEXANDRO PERETTO CARDINALI

FULVIUS URSINUS

Superioribus diebus cum ad te veniſſem officii cauſa, & ut tibi pro Sanctiſſimi Maximique Pontificis Proavunculi tui in me meritis, operam, ſtudium, & induſtriam meam pollicerer; cum alia multa ex illa eorum dierum collocutione cognovi in te ingenii ornamenta, tum illud, quòd ſingulari quodam mihi viſus es teneri ſtudio Romanarum rerum cognoſcendarum. Itaque exiſtimavi me non malam humanitati tuæ, qua me tunc excepiſti,

piſti, gratiam relaturum, ſi hæc antiquitatis monumenta, mitterem tibi rerum antiquarum ſtudioſo. Ea verò ſunt ſupplementa quædam ſive appendix ad librum Petri Ciacconii de Triclinio Romano, ex quibus intelligere poteris, quiſnam fuerit modus convivandi apud veteres Romanos, & conviviorum item apud eoſdem apparatus. Quæ ſanè notitia cùm priſcis illis temporibus quaſi ſugeretur cum lacte nutricis, confirmaretur à domeſticis & familiaribus, cumularetur à populo & ab ipſa conſuetudine, jam diu eſt, cùm hæc & alia his ſimilia perierunt adjumenta; ut libri tantum perpauci reliqui ſint, unde has vetuſtatis reliquias, & quidem

dem nimium disjectas, diſperſaſque colligere poſſis. Nos autem in noſtro prætermiſſorum ſupplemento eam rationem adhibuimus, ut quæ à Ciacconio in librũ de Triclinio relata ſunt, niſi ad cognoſcendum aliud aliquod Romanorum inſtitutum pertinere viſa ſint, de novo non protulerimus: quæ verò omiſſa deſiderari poſſe viderentur, ea addiderimus. Licet enim ad probandum id, quod ille ſibi propoſuerat, nempe Dominicæ cenæ apparatum ex ipſa Romani Triclinii ratione ductum eſſe, ſatis ſuperque ſint quæ ipſe curioſè diligenterque collegit, viſum tamen eſt fieri poſſe, ut deſideraturi eſſent nonnulli partem illam, quæ ad uſum lavandi & ungendi

gendi ante cenam pertineret; quæ ſuppleta à nobis eſt. Quin & alia quædam adjecimus, quæ de modo convivandi apud Græcos, & de conviviorum itidem apud eos apparatu, notata olim à me fuerant, quòd ex iis viderentur Romanæ de Triclinio antiquitates maiorem partem derivatæ. Quæ ſanè non putamus, virum alioqui diligentem vel incuria omiſiſſe, quòd ſcilicet imprudenti exciderint; vel in aliud tempus rejeciſſe, quòd illa videlicet additurus aliquando eſſet; ſed quòd ad propoſitum argumentum minus neceſſaria ratus, contentus iis, quæ collegerat, cetera non curarit. Ea verò cùm magno uſui futura tibi putem, tum ad intelligentiam

quo-

quorundam ſacræ Scripturæ locorum, tum ad cognoſcendas res Romanas, quarum tu lectione ſucciſivis horis delectaris, eò mittimus libentius, quòd rerum hujuſmodi cognitio & lubrica vehementer eſt, & Scriptorum mira paucitas, unde illa peti poſſit. Interea verò ſive in hoc, ſive in alio ſtudiorum genere, quid tibi ego ad iſtam ingenii præſtantiam, ad indolem præclaram domeſtica excultam diſciplina, tibi inquam ad decus & gloriam nato, in tanto præſertim mearum virium tenuitate præſtare poſſim, neſcio, quicquid autem illud eſt, ſi modo eſt aliquid, id tibi totum verè & ex animo profiteor, deferoque; & ut eo, jure tuo utare, à te etiam

atque

atque etiam peto. Atque hanc meam colendi tui perpetuam voluntatem, ita tuebor conſtanter, ut quæ vitæ dies, eadem obſervantiæ facturâ ſit finem. Ad quam ſanè voluntatem, ſuſceptam ſponte mea; confirmatam benignitate tua, magnus velut cumulus accedit Proavunculi tui Sanctiſſimi Optimique Pontificis auctoritas, cui de tua laude cogitanti, nihil me gratius facturum intellexi, quàm ſi, ut mei in te officii ratio poſtulat, in exornandi tui curam quoad fieri per occupationes tuas liceat, quibus maximè potero, ſtudiis incumbam.

FULVI

FULVI URSINI APPENDIX

AD LIBRUM PETRI CIACCONII

DE TRICLINIO

NOTUM eſt omnibus, ut opinor, veteres Romanos diem, qui civilis appellatur, in duodecim horas pro anni temporibus inæquabiles diſtribuiſſe: ipſas verò diei horas ita partitos eſſe, ut ſingulas ſingulis muneribus adſignarent; quibus perfuncti, tunc demum cenas inirent. Conſtat hoc ex epigrammate Martialis, quod habetur libro quarto ad Euphemum Structorem Domitiani:

Prima ſalutantes, atque altera continet hora:
Exercet raucos tertia cauſidicos.

In quintam varios extendit Roma labores:
Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris:
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima eſt Euphe- me meorum,
Temperat ambroſias cùm tua cura dapes.
Et bonus ætherio laxatur nectare Cæſar,
Ingentique tenet pocula parcâ manu:
Tunc admitte jocos, greſſu timet ire licenti,
Ad matutinum noſtra Thalia Jovem.

Atque ad hanc diei partitionem videtur Cicero reſpexiſſe in oratione pro Murænâ, cùm inquit: *Neque verò Cretes, quorum nemo guſtavit unquam cubans, meliùs quàm Romani homi-*

homines, qui tempora voluptatis laboriſque diſpertiunt, reſpublicas ſuas tenuerunt. Sed cenas obire ſoliti non erant, niſi poſt varia exercitationum genera, (ſive in Xyſto, ſive in Stadio, ſive in Sphæriſterio, quibus octava hora adtributa erat) lauti priùs & uncti fuiſſent. Dicendum igitur aliquid primùm de uſu lavandi & ungendi ante cenam, deinde de cenâ ipsâ & prandio diſſerendum. Lavandi quidem mos atque ungendi apud veteres tum Græcos tum Latinos antiquiſſimus fuit, & ab Heroicis uſque temporibus petitus, ut apparet ex Homero, apud quem Telemachus lavatur & ungitur ante cenam. Odyſſ. libro I.

> Αὐτὰρ ἐπεὶ λοῦσέν τε καὶ ἔχρισε λίπ' ἐλαίῳ, &c.
> Ἐκ ῥ' ἀσαμίνθου βῆ, &c.
> Δαίνυνθ' ἑζόμενοι, &c.

Lavantur item & unguntur apud eundem Homerum Nauſicaæ ancil-

cillæ ante prandium. Odyſſ. libro 1.

Αἱ δὲ λοεσσάμεναι, καὶ χρισάμεναι λίπ᾽ ἐλαίῳ,
Δεῖπνον ἔπειθ᾽ εἵλοντο παρ᾽ ὄχθῃσιν ποταμοῖο.

Inſtituta verò lavatio fuit, tum valetudinis cauſâ, tum voluptatis: nam eâ & ſudorem eliciebant, & ablutis ſordibus revocabant hilaritatem. Nam ut inquit Euſtathius in Homerum, εἰσήχθη τὸ βαλανεῖον ut eſſet, ῥύπου μὲν ἀποθετικὸν, ἀναψυχῆς δὲ τινὸς αἴτιον. & Athenæus libro 1. appellat balnea, ἄκη πόνων παντοίων, quòd ſcilicet laborum omnium laſſitudini mederentur. unde Plautus dixit in Mercatore.

Nunquam ædepol omnes balneæ mihi hanc laſſitudinem eximent. & Homerus θυμήρες ὕδωρ vocavit aquam, quæ è balneis lavando corpori funderetur. Itaque dictum eſſe βαλανεῖον putat S. Auguſtinus, quòd pellat ex animo anxietatem; & Sueto-

Suetonius ſcribit Cajum principem capitali pœnâ puniſſe, ſiquis indicto juſtitio balnearibus deliciis indulſiſſet: ut videri poſſit balnea voluptatis etiam cauſâ comparata fuiſſe, & non immeritò in antiquo lapide inciſum eſſe à vetere poëta:

BALNEA VINA VENUS CONSERVANT CORPORA NOSTRA
CORRUMPUNT VITAM BALNEA VINA VENUS.

Uſus autem lavandi erat ferè quotidianus: quin & Commodus Imperator ſepties per diem, atque octies lavit, & in ipſis balneis, ut ſcribit Lampridius, perſæpe cenitavit: & Gordianus Iunior ſepties æſtate, hieme bis lavatione uſus eſt. Capitolinus tamen ſcribit Gallienum Imperatorem laviſſe die ſeptimo æſtate, vel ſexto. hieme ſecundo, vel tertio: Vopiſcus autem Tacitum balneis rarò uſum eſſe. Se-

neca item libro Epiſtolarum XIII. veteres Romanos bracchia tantum & crura quotidie abluiſſe, quæ ſcilicet ſordes opere collegerant, totum verò corpus tantum nundinis teſtatur laviſſe. Lavabatur autem apud Romanos plebs quidem urbana in thermis publicis, ordo autem patricius & equeſter in balneis privatis. Quamvis nobiles etiam & principes viros, publicis balneis non abſtinuiſſe, tum ex aliorum ſcriptis intelligimus, tum ex Epigrammate Martialis, in quo notat Æmilium quendam, qui cùm captator eſſet cenarum, cum divitibus ſolebat in thermis lavari, ut inde eos ſequutus, lautius cēnitaret. Notum eſt etiam illud Hadriani Imperatoris, quod refert Spartianus in ejus vitâ his verbis: *Publicè frequenter & cum omnibus lavit: ex quo ille jocus balnearis innotuit: nam cùm quodam tempore veteranum quendam notum ſibi in militiâ, dorſum & ceteram partem cor-*

corporis vidiſſet atterere, percontans, cur ſe marmoribus deſtringendum daret, ubi audivit hoc idcirco fieri, quòd ſervum non haberet; & ſervis eum donavit, & ſumptibus. Verùm aliâ die, cùm plures ſenes ad provocandam liberalitatem principis pariter & ſe attererent, evocari eos juſſit, & alium ab alio invicem defricari. & Lampridius de Alexandro Severo ita ſcribit: *Thermis & ſuis & veterum frequenter cùm populo uſus eſt, & æſtate maximè; balneari veſte ad palatium revertens.* item Capitolinus de Claudio II. *Balneatorum*, inquit, *unum, & ad balneas ligna, ſi minus lavaretur in publico.* Ita enim legendus eſt hic locus. Contrà verò plebeios viros domi etiam privatis balneis, & apud ipſum quandoque convivii dominum lavari ſolitos legimus, juxtà illud Plautinum in Sticho:

Quàm mox cocta eſt cena? impranſus ego ſum.
E. abi intro ad me, & lava.

Nam publicis, ut videtur, balneis lautum indicat Terentius in Phormione, illo verſu:

Te ne aſymbolum venire unctum, atque lautum è balneis. M. autem Varro libro VIII. de linguâ latinâ ſatis apertè indicat veteres balneis tum publicis, tum privatis uſos eſſe, cùm ſcribit: *Reprehendunt analogias, quòd dicantur multitudinis nomine publicæ balineæ, non balinea: contra, quòd privati dicant unum balineum quòd plura, balineas dicant.* & poſt: *Balineas, quòd plures eſſent, quibus uterentur, multitudinis potiùs, quàm ſingulari vocabulo, balineum verò, ubi domi ſuæ quiſque lavaretur, veteres appellaſſe.* Itaque Cicero libro II. de oratore, balnea M. Bruti privata dixit, non balneas. Ac de publicis quidem Balneis infrà dicetur. Privatum autem balneum intellexit Cicero, cùm ſcribit ad Atticum libro I. *Balneum calefieri jubebo.* Item, *Cùm è balneo exiſſem, accepi tuas literas.*

teras. & ad Terentiam libro xv. *Labrum ſi in balneo non eſt, fac ut ſit.* Privatum itidem balneum ſignificavit Plinius Junior libro II. Epiſtolâ ad Gallum, cùm inquit: *In hoc balnea meritoria tria, magna commoditas, ſi fortè balineum domi, vel ſubitus adventus, vel brevior mora calefacere diſſuadeat.* Balneum autem privatum, quo domi ſuæ lavaretur, Sergium Oratam primum feciſſe ſcribit Macrobius libro III. capite xv. cùm inquit: *Hic eſt Sergius Orata, qui primus balneas penſiles habuit.* Lavationi hora eadem erat adſignata, quæ exercitationi: hanc autem diximus fuiſſe octavam: nam exercitationes & palæſtram ſtatim conſequebatur lavatio, cena vero lavationem, ut apertè ſignificat Cicero libro XIII. Epiſtolâ ad Atticum, cùm inquit: *Poſt horam octavam in balneum.* & Martialis libro x.

Nuntiat octavam Phariæ ſua turba juvencæ.

Et pilata redit, jamque ſubitque cohors.
Temperat hic thermas, nimios prior hora vapores
Halat, & immodico ſexta Nerone calet.
Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce venitis:
Septem Sigma capit, ſex ſumus, adde Lupum.

Itaque Spartianus in Hadriano: *Ante octavam*, inquit, *horam in publico neminem, niſi ægrotum lavari paſſus eſt.* & Plinius Iunior libro III. Epiſtolâ I. *Ubi hora balinei nuntiata eſt: eſt autem hieme nona, æſtate octava.* Vitruvius item eandem horam deſignat libro V. capite X. cùm inquit: *Quòd maximè tempus lavandi à meridiano ad veſperam eſt conſtitutum.* Ipſa verò lavandi hora indicabatur ſonitu tintinnabuli, ut conjici poteſt ex verſibus Martialis, quos infrà ponemus, & ex æreo item tintinnabulo, quod extat apud me, cum inſcri-

inſcriptione FIRMI BALNEATORIS, repertum in Eſquiliis anno M. D. XLVIII. in ruinis thermarum Diocletiani Imperatoris. Martialis verſus ſunt hi ex libro XIV. qui *Xenia* inſcribitur:

Redde pilam, ſonat æs thermarum, ludere pergis?
Virgine vis ſola lotus abire domum.

Plinius Iunior libro III. Epiſtolâ primâ ad Calviſium: *Ubi hora balinei nuntiata eſt, &c. lotus accubat, & pauliſper cibum differt.* Nam datâ, ut diximus, lavationi operâ, & curato prius lotoque corpore, cenas inibant, juxtà illud Athenæi libro IV. Δεῖν θεραπεύσαντα τὸ σωμάτιον, καὶ λουσάμενον ἰέναι πρὸς δεῖπνον. Plautus Amphitruone: *Lavaſti. Amph. Quid poſtquam lavi? Alcm. Accubuiſti, &c. Cenaſti mecum in eodem lecto.* Cicero in libro de oratore: *Cum lauti accubuiſſent.* & in oratione pro Deiotaro: *Huc te è balneo*

priuſquam accumberes, ducere volebat. Poſt lavationem autem fricari & ungi ſtatim ſolitos fuiſſe notat Euſtathius in verſum Homericum ex Iliad. x. τὼ δὲ λοεσσαμένω καὶ ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ. in quem verſum ita ſcribit: ἐλαίῳ δ' ἐχρίοντο οἱ λουσάμενοι, ἐμπλάττοντες τοὺς σωματικοὺς πόρους, ὡς ἂν μὴ λουτρὸν στέγοιεν τὴν ὑγρότητα. Colligimus etiam hoc tum ex Cicerone, apud quem ſic eſt libro VIII. Epiſtolâ ad Atticum: *Pòſt horam octavam in balneum* &c. *unctus eſt, accubuit*. & Plutarchus de Pompejo ſcribit, quòd tempus cenæ cùm inſtaret, paraſſet autem ex præſentibus copiis nauclerus, cernens Pompejum Favonius ſervorum penuriâ ſemetipſum lavantem, accurrit, abluitque, & unxit: ſic enim inquit: ἐπεὶ δὲ καιρὸς ἦν δείπνου, καὶ παρεσκεύασεν ὁ ναύκληρος ἐκ τῶν παρόντων, ἰδὼν ὁ Φαώνιος οἰκετῶν ἀπορίᾳ τὸν Πομπήιον ἀρχόμενον αὐτὸν ἀπολύειν, προσέδραμε καὶ ἀπέλουσε καὶ συνήλειψε. Et de Bru-

to

to idem Plutarchus refert, quòd ei miniſtri cùm non ita citò apportaſſent tentorium, labore autem eſſet confectus, tandem meridie unxiſſe ſe, & paululum cibi cepiſſe. Græca verba ſunt hæc: τῷ δὲ Βρούτῳ οὐ ταχέως ἧκον οἱ τὴν σκηνὴν κομίζοντες. ἐκπονηθεὶς δὲ περὶ ταῦτα, μεσημβρίας μόλις ἀλειψάμενος, καὶ φαγὼν ὀλίγα. Ad eandem ungendi conſuetudinem poſt lavationem reſpexit Apuleius libro IV. de Aſino, cùm inquit: *In fine ſermonis hujus, ſtatim ſeſe deveſtiunt, calidâque perfuſi, & oleo peruncti, menſas dapibus largiter inſtructas accumbunt.* & Varro libro de re ruſticâ capite LV. *olea, & uva, per idem bivium redit in villam: alia ad cibum eligitur, alia ut eliqueſcat, ac non ſolùm corpus intus ungat, ſed etiam extrinſecus, itaque dominum & ad balneas, & ad gymnaſium ſequitur.* Diximus autem ſuprà, gymnaſium, & palæſtram ſtatim

tim conſequi lavationem. Lavatur item Auguſtus, & poſt lavationem ungitur, ut innuit Suetonius in Auguſto capite LXXVI. his verbis: *Ne Judæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter ſabbatis jejunium ſervat, quàm ego hodie ſervavi, qui in balneo demum poſt horam primam noctis duas bucceas manducavi, priuſquam ungi inciperem.* Interdum tamen poſt exercitationes ungebantur priùs, quàm lavarentur, ut de Alexandro Severo refert Lampridius: *Poſt lectionem*, inquit, *operam palæſtræ, aut ſphæriſterio, aut curſui, aut luctaminibus mollioribus dabat. Atque inde unctus lavabatur, ita ut caldariis vel nunquam vel raro, piſcinis ſemper uteretur, in eiſque unâ horâ propè maneret.* Quin etiam aliquando nullâ poſt exercitationes uſi lavatione ungebantur, ut ex Perſio intelligimus. apud quem eſt Satyrâ III.

——*unctâ vixiſſe patellâ*

Semper

Semper & aſſiduo curata cuticula
ſole.

& alibi:

At ſi unctus ceſſes, & figas in cute
ſolem.

& Iuvenalis:

Noſtra bibat vernum contracta cu-
ticula ſolem,
Effugiatque togam, jam nunc in bal-
nea ſalva
Fronte licet vadas.

Sed clarius & certius Cornelius Celſus libro I. capite II. *Exercitationem*, inquit, *rectè ſequitur modò unctio, vel in ſole vel ad ignem: modò balneum, ſed in conclavi, quàm maximè & alto, & lucido, & ſpatioſo. Ex his verò neutrum ſæpe fieri oportet, ſed ſæpius alterutrum pro corporis naturâ.* Plautus in Sticho, Unctiones Græcas, ſudatorias dixit, quòd adhiberentur ab iis, qui vel in balneo, vel in gymnaſio ſudaſſent, ad obſtruenda ſcilicet corporis ſpiramenta, & ut inquit Euſtathius in Homerum,

rum, *πρὸς τὸ ἐμπλάττειν τοὺς σωματικοὺς πόρους*, loco ſuprà citato. Ungendi autem officio fungebantur in balneis ſervi, qui ab eo Unctores dicti ſunt, & Aliptæ. Seneca libro VII. Epiſtolarum: *Suprà ipſum balneum habito: cùm in aliquem, ac plebeiâ unctione contentum incidi, audio crepitum illiſæ manus humeris: Aliptam cogita tenuem.* & Iuvenalis: *Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes.* Locus verò in balneis, in quo ungebantur, Unctorium vocabatur, ſive Elæotheſium. Plinius Iunior libro II. Epiſtolâ ad Gallum, *Adjacet unctorium, hypocauſtum, adjacet propnigeon balinei.* Unctores in antiquis inſcriptionibus nominantur hi: PANTHAS CÆSARIS VNCTOR. item, C. PLÆTORIUS. SECUNDIO. UNCTOR. item, AURELIUS. EROS. AVG. VNCTOR. item, ATHENAIS, AVGVSTÆ. UNCT. De variis unguentorum generibus, quibus in balneis utebantur, videndus Athenæus

næus libro v. in quo adducit Polybium de Antiocho referentem, in publicis eum balneis lavari ſolitum etiam cùm frequentiſſimâ plebis turbâ occuparentur: pretioſiſſimorumque unguentorum fictilia vaſa tum ad eum perferri ſolita: quorum odore oblectatum quendam, dixiſſe: fortunatos eſſe reges, qui iis delibuti ſuaviter olerent: hominique nihil tunc Antiochum reſpondiſſe, ſed poſtridie eò ingreſſum ubi ille lavabatur, unguenti nobiliſſimi, nempe ſtactitiæ myrrhæ vas fictile in ejus caput effundi juſſiſſe; omneſque lavaturos aſſurrexiſſe, & in unguento illo ſeſe volutantes, ac ob lentorem labentes, regi etiam ipſi riſum excitaſſe. Athenæi verba, vel potius Polybii ſunt hæc:

Ἐλούετο δὲ κἂν τοῖς δημοσίοις βαλανείοις, ὅτε δημοτῶν ἦν τὰ βαλανεῖα πεπληρωμένα, κεραμίων προσφερομένων αὐτῷ μύρων πολυτελεστάτων, ὅτε καὶ τινος εἰπόντος, μακάριοί ἐστε ὑμεῖς οἱ βασιλεῖς, οἱ

ἐ τώ-

καὶ τούτοις χρώμενοι, καὶ ὀδωδότες ἡδύ· καὶ μηδὲν τὸν ἄνθρωπον προσειπών, ὅπως ἐκεῖνος τῇ ἑξῆς ἐλούετο, ἐπεισελθὼν ἐποίησεν αὐτοῦ καταχυθῆναι τῆς κεφαλῆς μέγιστον κεράμιον πολυτελεστάτου μύρου τῆς στακτῆς καλουμένης, ὡς ἅπαντας ἀναστάντας κυλίεσθαι λουομένους τῷ μύρῳ, καὶ διὰ τὴν γλισχρότητα καταπίπτοντας γέλωτα παρέχειν, καθάπερ καὶ αὐτὸν τὸν βασιλέα. Lavabantur autem aquâ tum calidâ, tum frigidâ, ut apparet ex Homero, & aliis Scriptoribus, quorum teſtimonia proferemus. Apud Homerum ſiquidem priſcis temporibus Heroes, aquâ marinâ primùm lavabantur, hoc eſt frigidâ, ut eâ lavatione ſudorem & ſordes detergerent, deinde aquâ dulci, hoc eſt calidâ, quâ animi recreandi cauſâ utebantur. Homeri verſus ex Iliad. x. ſunt hi:

Αὐτοὶ δ' ἱδρῶ πολλὸν ἀπενίζοντο θαλάσσῃ
Ἐσβάντες, κνήμας τε, ἰδὲ λόφον, ἀμφίτε μηροὺς.

Αὐτὰρ


Αὐτὰρ ἐπεὶ σφιν κῦμα θαλάσσης ἱδρῶ πολλὸν
Νίψεν ἀπὸ χρωτὸς, καὶ ἀνέψυχθεν φίλον ἦτορ,
Ἐς ῥ' ἀσαμίνθους βάντες ἐϋξέστας λούσαντο·
Τὼ δὲ λοεσσαμένω, καὶ χρισαμένω λίπ' ἐλαίῳ,
Δείπνῳ ἐφιζανέτην. Et de Ulyſſe, Odyſſ. VIII. ut animi hilaritatem revocaret, triſtitiamque depelleret, dicit eum calidâ lavatione uſum eſſe, his verſibus:

—— οὐδ' ἀσπασίως ἴδε θυμῷ
Θερμὰ λοετρά. Sed hæc quoque apertius Cornelius Celſus libro I. capite I. *Prodeſt*, inquit, *etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti: modò ungi, modò id ipſum negligere.* Plinius libro XXV. capite VIII. *Iidem fratres inſtituere à balneis frigidâ multâ corpora adſtringere. antea non erat mos niſi calidâ tantum lavari, ſicut apud Homerum etiam invenimus.* Atqui in hoc falſus videtur Plinius.

nius, cùm conſtet tum ex verſibus ſuprà prolatis, tum ex aliis apud Homerum locis, quibus citandis, quia in promptu ſunt, ſuperſedemus, aquâ marinâ, hoc eſt, frigidâ lavari Heroas ſolitos fuiſſe. Idem Plinius libro XXVIII. capite IV. *Perfundere*, inquit, *caput aquâ calidâ ante balnearum vaporationem, & poſtea frigidâ, ſaluberrimum intelligitur.* Sed variè pro cujuſque voluntate & libidine modò frigidâ, modò calidâ uſi veteres videntur. Plinius Junior libro III. Epiſtolâ ad Macrum: *Poſt ſolem plerumque frigidâ lavabatur, deinde guſtabat dormiebatque minimum.* Vopiſcus in Carino: *Balneis*, inquit, *ita frigidis uſus eſt, ut ſolent eſſe cellæ ſuppoſitoriæ frigidariis ſemper nivalibus.* & Lampridius in Commodo: *Auſpicium*, inquit, *crudelitatis apud Centum cellas dedit anno ætatis XII. nam cùm tepidus fortè lotus eſſet* (ſic enim legendum non *locus*) *balneatorem in fornacem conjici juſſit,*

1 Trulla Balnearia.
2 Orceolum
3 Cacabus
4 Solium.
5 Strigiles
6 Guttus.
7 Lintea.
8 Lampas
9 Piſcina.





juſſit, quando à pædagogo, cui hoc juſſum fuerat, vervecina pellis in fornace conſumpta eſt, ut fidem pœnæ de fetore nidoris impleret. Idem ſc[...]t Alexandrum Severum caldariis vel nunquam vel rarò uſum eſſe. Habebant enim balnea tres domos, ſive ut eas vocat Plinius junior in Epiſtolâ ad Gallum libro II. cellas. quarum ſuperior acris erat calidi, & calidarium, vel ut Græci vocant, πυελατήριον, ſivè ſudatorium, quòd in eo ſudorem ſicco calore provocabant, & Laconicum dicebatur: Media calidæ aquæ, ſive tepidæ, caldarium, ſivè tepidarium, Græcè βαπτιστήριον dicta, in quâ erat ſolium, ſivè labrum ubi conſidentes lavabantur: Infima aquæ frigidæ frigidaria, ſive frigidarium dicta, quæ ſolium itidem habebat.

***

Ut utriuſque lavationis modum redderemus magis perſpicuum, præſentem hanc ex Mercuriali *depingi curavimus imagunculam: quæ præterquam quod vaſa omnis generis, & reliqua balneorum utenſilia quàm apprimè ob oculos*

los ponat; LABRUM *quoque tepidarii pro lavatione calidâ, quam optimè diſtinguit à* PISCINA, *in quâ lavabantur frigidâ.*


* *

Galenus libro III. de ſanitate tuendâ addit his quartam cellam, in quâ ſcilicet loti ungerentur: quæque ob id Unctorium, à Græcis verò ἀλειπτήριον dicebatur. Has deſignat Plinius loco ſuprà memorato, cùm inquit, *Inde balinei cella frigidaria, ſpatioſa, & effuſa.* & poſt: *Mox duæ cellæ, magis elegantes, quàm ſumptuoſæ.* & libro V. Epiſtolâ ad Apollonium: *Si pœnitet*, inquit, *temporis: frigidariæ cellæ connectitur media, cui ſol benigniſſimè præſtò eſt, caldariæ magis, prominet enim.* Ad eaſdem item cellas reſpexiſſe videtur Cornelius Celſus libro I. capite IV. cùm inquit, *Si in balneum venit: ſub veſte primùm paulùm in tepidario inſudare: ibi ungi: tum tranſire in calidarium: ubi inſudavit*, (ſic enim legendum) *in ſolium non deſcendere: ſed multa*

multâ calidâ aquâ per caput ſe totum perfundere : tum tepidâ, dein frigidâ: (omiſſo verbo, *uti*, quod gloſſema eſt) *diutiuſque eâ caput, quàm ceteras partes perfundere : deinde id aliquandiu perfricare : noviſſimè detergere, & ungere*. Sed hæc ex ipſo fonte, hoc eſt, ex Vitruvii libro v. capite x. haurienda ſunt, in quo & Laconici meminit, quó utebantur ad ſudorem ex calore ſicco eliciendum. De quo ita Columella in prooemio libro I. *Quotidianam*, inquit, *cruditatem Laconicis excoquimus, & exucto ſudore ſitim quærimus*. Seneca in Epiſtolis appellat ſudatoria, cùm inquit: *Quid cum ſudatoriis? omnis ſudor per laborem exeat*. Cornelius autem Celſus dixit ſudationes aſſas, quòd differrent ab iis, quæ in balneis fierent. Dio libro LIII. ſcribit ſudatorium ab Agrippâ Romæ extructum fuiſſe, quod Laconicum appellavit, exemplo Lacedæmoniorum, quoniam hi tunc nudari corpora,

pora, & inungi oleo præcipuè videbantur. Dionis verba ſunt hæc: Ἀγρίππας τὸ πυριατήριον τὸ λακωνικὸν κατεσκεύασε. λακωνικὸν γὰρ τὸ γυμνάσιον, ἐπειδήπερ οἱ λακεδαιμόνιοι γυμνοῦσθαί τε ἐν τῷ τότε χρόνῳ, καὶ λίπ' ἀσκεῖν μάλλον ἐδόκουν ἐπεκάλεσε. Idem Dio libro L V. ſcribit Mæcenatem primum aquæ calidæ piſcinam Romæ inſtituiſſe: πρῶτος τε, inquit, κολυμβήθραν θερμοῦ ὕδατος ἐν τῇ πόλει κατεσκεύασε. Privatam verò piſcinam domi Ciceronem habuiſſe, ipſe indicat, cùm inquit: *Latiorem piſcinam voluiſſem ubi jactata brachia non offenderentur.* Suetonius in Nerone capite XXVII. *Epulas à medio die ad mediam noctem protrahebat, refotus ſæpe calidis piſcinis ac tempore æſtivo nivatis.* Lampridius autem ſcribit Elagabalum Imperatorem non niſi unguento nobili, aut croco piſcinis infectis nataſſe. Plinius Junior libro II. Epiſtolâ ad Gallum: *Cohæret*, inquit, *calida piſcina mirificè, ex quâ natan-*

natantes mare aſpiciunt. Balnea publica, quibus populus Romanus lavaretur, M. Agrippa in Ædilitate ſuâ populo gratuita præbuit CLXX. *quæ nunc*, inquit Plinius libro XXXVI. capite XV. *Romæ ad infinitum auxere numerum*. Dionis verba ex lib. XLIX. ſunt hæc : *τάτε βαλανεῖα προῖκα δι' ἔτους καὶ τοῖς ἀνδράσι καὶ ταῖς γυναιξὶ λούεσθαι παρέσχε, καὶ τοὺς κουρέας*. Idem Dio libro LIV. ſcribit, Auguſtum tonſores, & balnea gratis per diem unum populo dediſſe: Quâ quidem munificentiâ Fauſtum quoque Syllæ filium antea uſum fuiſſe dicit; qui oleum, & balnea per diem unum gratis populo præbuit. Dionis verba ſunt hæc, ex libro XXXVII. Κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ Φαῦστος ὁ τοῦ Σύλλου παῖς ἀγῶνά τε μονομαχίας ἐπὶ τῷ πατρὶ ἐποίησε, καὶ τὸν δῆμον λαμπρῶς εἱστίασε, τά τε λουτρὰ καὶ ἔλαιον προῖκα αὐτοῖς παρέσχεν. Thermas quoque Agrippam populo legaſſe, ab ipſo Agrippinas appella-


STRIGILES
STRIG·AMMONI·LIBEF

pellatas, quibus ſine mercede lavaretur, idem Dio libro LIV. ſcribit his verbis: Καὶ τότε γοῦν κήπους τέ σφισι καὶ τὸ βαλανεῖον τὸ ἐπώνυμον αὐτοῦ κατέλιπεν, ὥστε προῖκα αὐτοὺς λούεσθαι. & Capitolinus de Pio Imperatore *Balneum*, inquit, *quo uſus fuiſſet, ſine mercede populò exhibuit*. Lampridius item in Alexandro Severo: *Balnea*, inquit, *omnibus regionibus addidit, quæ fortè non habebant: nam hodieque multa dicuntur Alexandri*. Utebantur autem in balneis tum ad fricancandum corpus ſudoremque eliciendum, tum ad abſtergendas ſordes, æneâ ſtrigili, cujuſmodi multæ reperiuntur in antiquis ruderibus Thermarum. Auctor ad Herennium libro IV. *Nam ut fortè*, inquit, *hic in balneas venit, cæpit poſtquam perfuſus eſt, defricari*. Defricabatur autem, ut videtur, ſtrigili. & Suetonius in Veſpaſiano, capite XX. *Valetudine proſperrimâ uſus eſt, quamvis ad tuendam eam nihil ampliùs quàm*

fauces, ceteraque membra ſibimet ad numerum in ſphæriſterio defricaret. Perſius Satyrâ I.

I puer & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer.

Juvenalis Satyrâ III.

—— & ſonat unctis

Strigilibus, &c. Nam uncti oleo ſtrigilibus radebantur ſudantes, deinde linteis ad id paratis tergebantur. Apuleius libro II. de Aſino: *Ac ſimul ex promptuario oleum unctui, & lintea terſui, & cetera huic eidem uſui profer ociter, & hoſpitem meum produc ad proximas balneas.* Plinius libro XXVIII. capite IV. *Solum quoque remediorum maximum ab ipſo ſibi præſtari poteſt, ſicut linteorum ſtrigiliumque vehementia.* Martialis libro XIV.

Pergamus has miſit (ſtrigiles) *curvo deſtringere ferro:*
Non tam ſæpe teret lintea fullo tibi.

& Iuvenalis Satyrâ III.

—— pleno componit lintea gutto.

Gutto

Gutto enim unctores, ut inquit Varro, oleum lavantibus ſe in balneo guttatim fundebant: quod fiebat è vulgari cornu, ſive vitro: nam è rhinocerotis potentiores tantùm utebantur. Iuvenalis:

——*magno cum rhinocerote lavari*
Qui ſolet &c.

***

Strigilum æn earum formas lectori abundè ex præcedenti imagine (partim ex Caſalio partim ex Mercuriali deſumptâ) cognitas exiſtimo, nunc ad Gutti dilucidationem haud ab re fuerit, præſentem figuram ſubjicere, quam aptè nobis ſubminiſtravit Guilielmus Choulius in libello de Balneis antiquis Græcorum & Romanorum: refert hæc Virum balneum jam ingreſſurum, puero ſtrigilem unâ, Guttum alterâ geſtantem manu comitatum, in hanc formam.

**

Utebantur etiam ad oleum fundendum ampullis. Apulejus libro II. Floridorum. *Strigilem*, inquit, *& ampullam, ceteraque balnei*



utenſilia nundinis mercari. & Cicero libro IV. de Finibus. *Si ad illam vitam quæ cum virtute degatur, ampulla, aut ſtrigilis accedat.* Unde Suetonius in Auguſto capite LXXX. ſcribit eum nimio ſtrigilis uſu cutem læſiſſe: *Sed & callis,* (inquit) *quibuſdam ex prurigine corporis, aſſiduoque & vehementi ſtrigilis uſu plurifariam contractis ad impetiginis formam.* Apulejus in Floridis refert, Hippiam illum multiſcium, ſtrigileculam ex quâ ſudor laberetur, ſibimet ipſum fabricaſſe. Sic enim ait: *Etenim non pigebit me commemorare, quod illum non puditum eſt oſtentare: qui magno in cœtu* (ſic enim legendum, non, *inceptu*) *prædicavit. fabricatum ſe ſibi ampullam quoque oleariam, quam geſtabat, lenticulari formâ, tereti ambitu, preſſulâ rotunditate, juxtaque honeſtâ ſtrigileculâ, rectâ faſtigatione* (ſic enim ſcribendum, non, *fatigatione*) *clauſulæ, flexâ tubulatione ligulæ, ut & ipſa in manu capulo*

moraretur, & ſudor ex eâ rivulo laberetur. Plinius junior libro III. Epiſtolâ ad Macrum: *Solum balinei tempus ſtudiis eximebatur, cùm dico balinei, de interioribus: nam dum deſtringitur; tergiturque, audiebat aliquid, aut dictabat.* Strabo autem ſcribit libro XV. Indos, cùm de corporis exercitationibus præcipuè fricationem probarent, non æreâ, vel argenteâ, aut aureâ, ſed ſtrigilibus hebeni glabris corpora lævigaſſe. ſic enim ait: Γυμνάσιον δὲ μάλιστα τρῖψιν δοκιμάζουσι, καὶ ἄλλως καὶ διὰ σκυταλίνων ἐβενίνων ὁμαλίζονται τὰ σώματα. Sed pro ſtrigilibus delicatiores homines, & eos præcipuè, qui malâ valetudine uterentur, ſpongiis interdum uti ſolitos fuiſſe tradit Plinius libro XXXI. capite ultimo, his verbis: *Præſtant & ſtrigilum vicem, linteorumque affectis corporibus.* Cùm autem ii, qui lavarentur, à ſervis & miniſtris raderentur ſtrigili æreâ, Scipio Æmilianus, ut refert

ſert Plutarchus in Apophthegmatibus milites ſuos lavari prohibuit, nec non unumquemque eorum qui ſe ungerent, ipſum ſe fricare juſſit: quòd diceret, jumenta quæ manus non haberent, alio fricante indigere: λούεσθαι δὲ, inquit, ἀπεῖπε. τῶν δὲ ἀλειφομένων τρίβειν ἕκαστον ἑαυτόν. τὰ γὰρ ὑποζύγια χεῖρας οὐκ ἔχοντα ἑτέρου τρίψοντος δεῖσθαι. Celebratur autem inter egregia veterum monumenta ſignum τοῦ ἀποξυομένου, id eſt, ſe ipſum deſtringentis, dicatum à M. Agrippâ in thermis ſuis, quod Tiberius Imperator cùm in cubiculum ſuum tranſtuliſſet, efflagitanti populo reſtituit. De quâ re ita refert Plinius libro XXXIV. capite VIII. *Fuit & alius Pythagoras Samius, initio pictor, cujus ſigna ad ædem Fortunæ hujusque diei ſunt ſeminuda, unde & laudata ſunt. Plurima ex omnibus ſigna fecit, ut diximus, fecundiſſimæ artis, inter quæ deſtringentem ſe, quem M. Agrippa ante thermas ſuas dicavit; mirè*

gratum Tiberio principi: qui non quivit temperare ſibi in eo, quamquam imperioſus ſui inter initia principatus: tranſtulitque in cubiculum, alio ibi ſigno ſubſtituto: cùm quidem tanta populi Romani contumacia fuit, ut magnis theatri clamoribus reponi Apoxyomenon flagitaverit: princepſque, quamquam adamatum, repoſuerit. Quod autem apud Plinium ſcripſimus, *Fortuna hujuſque diei*, debemus eam lectionem marmori Capitolino, in quo eſt: VICVS FORTUNÆ HVIVSQVE DIEI, cùm antea non ſolum apud Plinium mendosè legeretur, *hujuſce deæ*, ſed apud Ciceronem etiam libro de legibus ſecundo. De honeſtate lavandi videndus Valerius Maximus libro II. capite I. Plutarchus in Cenſorino, & Cicero libro I. de Officiis. Erant enim balnea mixta, in quibus lavabantur viri & mulieres præter ea, quibus viri tantum utebantur. Gracchus in oratione de legibus promulgatis, apud

apud Agellium libro x. capite III. *Nuper*, inquit, *Teanum Sidicinium Conſul venit: uxorem dixit in balneis virilibus lavari velle. Quæſtori Sidicino à M. Mallio datum eſt negotium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur. Uxor renuntiat viro, parum citò ſibi balneas traditas eſſe, & parum lautas fuiſſe, &c.* Hadrianus autem Imperator primus viros diſcretos à mulieribus lavari edixit, ut ſcribit Spartianus in Hadriano: *Lavacra*, inquit, *pro ſexibus ſeparavit.* & Capitolinus in M. Aurelio, *lavacra*, inquit, *mixta ſummovit.* item Lampridius in Alexandro Severo: *Balnea*, inquit, *mixta Romæ exhiberi prohibuit.* De balneis publicis, quibus feminæ tantum lavarentur, facit mentionem Varro libro VIII. de linguâ latinâ cùm inquit: *Publicæ* (ſic enim legendum ex loco ſuperiore, non *publicè*: refertur enim ad *balneæ.*) *ibi conſedit, ubi bina eſſent conjuncta ædificia lavandi cauſâ: unum*

ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur. & Vitruvius libro v. capite x. ſatis apertè oſtendit balnea virorum disjuncta à balneis mulierum fuiſſe, ita tamen, ut in iiſdem regionibus collocata eſſent: *Uti caldaria*, inquit, *muliebria, viriliaque conjuncta, & in iiſdem regionibus ſint collocata: ſic enim efficietur, uti vaſaria ex hypocauſto communis ſit uſus eorum utriſque.* Plinius libro XXXIII. capite XII. *Videret hæc Fabricius, & ſtratas argento mulierum balineas, ita ut veſtigio locus non ſit, cum viris lavantium.* Suetonius in Auguſto cap. LXXX. *Ut mox*, inquit, *Accia publicis balneis abſtinuerit.* Quod dictum de balneis mulierum intelligendum eſt: in quibus Romanas feminas ſoliis etiam argenteis aliquando uſas fuiſſe, intelligi poteſt ex Plinii l. XXXIII. c. XI. cùm ait: *Argento feminæ laventur, & niſi argentea ſolia faſtidiant, eademque materia & cibis & probris ſerviat.* & loco ſupra prolato dixit: *Stratas*

argento

argento mulierum balineas. Lampridius in Alexandro ſcribit, Eunuchos balneis feminarum ab Alexandro, præpoſitos fuiſſe. Tempus autem quo balnea paterent, indicat Lampridius in Alexandro cùm ait: *Addidit & oleum luminibus thermarum, cùm antea, non ante auroram paterent, & ante ſolis occaſum clauderentur*. Vopiſcus in Tacito: *Thermas*, inquit, *omnes ante lucernam claudi juſſit*. Balneorum uſum uſque ad Iuſtiniani tempora permanſiſſe conjicimus ex Procopii libro I. nam uſque ad Valentiniani imperium perduraſſe apertè indicat Ammianus libro XXVIII. Præfectus autem Vigilũm, adverſus Capſarios, qui mercede ſervandâ in balneis veſtimenta ſuſcipiebant, judex erat conſtitutus, ut conſtat ex Digeſtor. *lib*.I.*tit*.XV.*& lib*.III.*tit*.II.& Ulpiano item qui *lib*. I. *Digeſtorum Depoſiti*, de hac re ſic ſcribit: *Si veſtimenta ſervanda balneatori data perierint*. Nã lavaturi, aut ſudaturi veſtimenta depo-

deponebant in Apodyterio, quem locum Celſus ponit in cellâ tepidariâ, quòd in eo primùm corpora nudarent, qui lavatum veniſſent. Quòd autem Apodyterium locus eſſet tepidus, conjici poteſt ex verbis etiam Ciceronis, quæ habentur in libro III. epiſtolâ I. ad Q. Fratrem: *In balneariis*, inquit, *hypocauſta in alterum apodyterii angulum promovi, propterea quod ita erant poſita, ut eorum vaporarium* (omiſſis verbis: *ex quo ignis erumpit*: quæ gloſſæ ſunt) *eſſet ſubjectum cubiculo*. Apodyterii meminit item Plinius junior libro v. Epiſtolâ ad Apollonium: *Inde*, inquit, *Apodyterium balinei laxum*. & poſt: *Non longius Apodyterio ſuperpoſitum eſt ſphæriſterium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit*. Inde Balnearii fures, qui veſtimenta eorum, qui lavabantur, ſurripiebant. Catullus:

O furum optimè balneariorum.

Qui balneis præerant, Balneatores dice-

dicebantur, quorum mentio eſt in antiquâ inſcriptione : ANTEROS. BALNEATOR. Erant autem plures, ut oſtendunt alii ſcriptores, & Capitolinus in Claudio II. *Balneatorum*, inquit, *unum, & ad balneas ligna.* Hi quadrantem exigebant ab iis, qui lavabantur. Juvenalis Satyrâ II.

Nec pueri credunt niſi qui nondum
ære lavantur.

& Satyrâ VI.

Cædere Silvano porcum, quadrante
lavari

Horatius libro I. ſermonum Satyrâ III.

—— dum tu quadrante lavatum.

Rex ibis &c. Sed lavandi & ungendi conſuetudine jam explicatâ, dicendum nunc aliquid de prandio, & cenâ, vel potiùs primùm de jentaculo, quod ante prandium ipſum ſumebatur. Nam veteres ante quàm prandereut, ſolitos fuiſſe jentaculum ſumere, vel ex illo Dionis loco de

de Vitellio intelligi poteſt, in quo ſcribit eos, qui epulum Vitellio dabant viciſſim, magno incommodo affici ſolitos, licet convivium ab uno minimè totum diem ageretur. Dabant enim alii jentacula, alii prandium, alii cenam, alii comeſſationes, veluti ſolatium priſtinæ ſatietatis. οἱ δ᾽, inquit, δειπνίζοντες σφᾶς, ἐν μεγάλῳ κακῷ ἐγίνοντο, καίπερ οὐδ᾽ ὅλης τῆς ἡμέρας οἱ αὐτοὶ ἑστίων αὐτὸν, ἀλλ᾽ ἄλλοι μὲν ἀκρατίσματα παρεῖχον, ἄλλοι δ᾽ ἀριστῆσαι, ἕτεροι δὲ δεῖπνον, ἕτεροι μεταδόρπια τινὰ πλησμονῆς παραμύθια. Cum hoc Dionis loco conſentiunt illa quæ ſcribit Suetonius in Vitellio, capite XIII. *Epulas*, inquit, *trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat, in jentacula, & prandia, & cenas, comeſſationeſque.* Athenæus item libro I. refert ex auctoritate Philemonis, veteres uſos eſſe jentaculo, prandio, merendâ, cenâ. Φιλήμων δὲ φησὶν, inquit, ὅτι τροφαῖς ἐχρῶντο οἱ παλαιοὶ ἀκρατίσματι, ἀρί-

στῳ

ςῳ, ἑσπερίσματι, δείπνῳ. Videtur autem Æſchylus illo verſu,

—— σῖτον δ᾽ εἰδέναι διώρισα
Ἄριστα, δεῖπνα, δόρπα αἱρεῖσθαι τρίτα,

dixiſſe ἄριστον, id, quod Philemon vocavit ἀκράτισμα. Latini certè jentaculum appellârunt. Plautus Curculione:

Quid antepones Veneri jentaculi?

Callimachus αἰτίοις: Ientaculum proferto Iovi. Ientaculum Fulgentius exponit, cibi deguſtationem matutinam. Martialis in Apophoretis:

Surgite jam pueri, vendit jentacula piſtor,
Criſtatæque ſonant undiq; lucis aves.

Quale fuerit jentaculum apud veteres, videtur innuere his verbis Apuleius libro 1. de Aſino: *En inquam paratum tibi adeſt jentaculum: & cum dicto manticam meam humero exuo, caſeum cum pane properè ei porrigo.* Item Pomponius: *Nihil habens jentaculi præter nauticum panem,* & Plutarchus Sympoſiacon libro

bro VIII. φασὶ γὰρ, inquit, ἐκείνους ἐργατικοὺς ἅμα καὶ σώφρονας ὄντας, ἕωθεν ἐσθίειν ἄρτον ἐν ἀκράτῳ, καὶ μηθὲν ἄλλο. διὰ τοῦτο μὲν ἀκράτισμα καλεῖν, διὰ τὸ ἄκρατον. Quamvis hoc loco Plutarchus ἄριστον poſuiſſe videatur, pro levi prandio, ex antiquâ conſuetudine: nam Feſtus jentaculum idem cum prandio fuiſſe dicit, & ſilatum alibi appellat, cùm inquit: *Silatum antiqui pro eo, quod nunc jentaculum dicimus, appellabant, quia jejuni vinum ſili conditum ante meridiem abſorbebant.* Sed poſtea jentaculum diſtingui à prandio cœptum; ita ut prius jentaculum ſumeretur, deinde prandium, quod & ipſum breviſſimum fuit. Jentaculi verò etymon oſtendit Iſidorus libr. xx. *Jentaculum*, inquit, *eſt primus cibus, quo jejunium ſolvitur, unde & nuncupatum.* Nigidius:

Nos ipſi jejunia jentaculis levibus polluimus.

Inde jentare dicebant, pro eo quod eſt matutinum cibum capere. Suetonius

tonius in Vitellio capite VII. *Ut mane ſingulos jam ne jentaſſent, ſciſcitaretur.* Afranius Crimine: *Hæc jejunia jentavit.* Idem Buccone adoptato: *Jentare nulla invitat.* Jentaculum, ut oſtendimus, ſequebatur prandium, quod deſignare videtur Servius libro I. Æneidis cùm ſcribit Romanos duobus tantum cibis uſos eſſe, prandio ſcilicet (ut opinor) & cenâ, & in atriis ſedentes edere ſolitos fuiſſe. Confirmat hanc noſtram opinionem Macrobius libro III. capite XVII, his verbis: *Et hæ nimirum cauſæ fuerunt, propter quas tot numero leges de cenis, & ſumptibus ad populum ferebantur, & imperari cœpit, ut patentibus januis pranſitaretur, & cenitaretur.* & paulò poſt. *Deinde, ut non ſoli, qui prandia cenaſve majore ſumptu feciſſent, ſed etiam qui ad eas vocati eſſent, atque omninò interfuiſſent, pœnis legis tenerentur.* Prandii mentionem faciunt, cùm alii ſcriptores permulti, tum in primis Hip-

Hippocrates libro II. de victus ratione, & in Oeconomico Xenophon, apud quem narrat Iſchomachus ſe leviter prandere, ut largius cenet. Quod eò libentius indicavi, ne cui fortè veterum quorundam & Iſidori imponat auctoritas, qui negat prandia in uſu antiquis fuiſſe. Galenus libro VI. de tuendâ valetudine dicit, ſe niſi tardius lavaret, cibum interdiu non ſumpſiſſe, & illum quidem cùm ſumeret, ſolo pane uti abſque potu: quoſdam verò olivis, melle, atque id genus uſos eſſe, juxta Græcum illud δεῖπνον ἀφελὲς, ἄριστον ἄπυρον. ut videri poſſit prandium, id eſt cibus, quem interdiu ſumebant, levis fuiſſe & ſimplex: cena vero largior & copioſior. Plutarchus etiam libro Sympoſiacon VIII. refert veteres Romanos καθ' ἑαυτοὺς prandiſſe parcè, cenas verò largè adhibitis convivis iniſſe. Ejus verba ſunt hæc: Καθ' ἑαυτοὺς γὰρ ἠρίστων ἐπιεικῶς οἱ πάλαι ῥωμαῖοι, συνδειπνοῦντες τοῖς φίλοις. Quo lo-

co ἀριστᾷν uſurpavit pro prandere. Moderatum item prandium deſignat Plinius libro III. Epiſtolâ ad Macrum, cùm inquit: *Poſt cibum, quem interdiu levem, & facilem veterum more ſumebat*, itemque Sidonius, cùm ait: *Prandebamus breviter*. & Horatius Sermonum libro I. Satyrâ V.

Pranſus non avidè, quantùm interpellet inani
Ventre diem durare &c.

& libro II. Satyrâ IV.

——ille ſalubreis
Æſtates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quæ legerit arbore ſolem.

Lampridius in Alexandro Severo: *Egreſſus*, inquit, *balneas multum lactis & panis ſumebat, ova, deinde mulſum, atque his refectus aliquando prandium inibat, aliquando cibum uſque ad cenam differebat: prandit tamen ſæpius*. Sed videtur legendum: *Egreſſus*

Egreſſus balneas non multùm lactis & panis, ova deinde & mulſum ſumebat. atque bis &c. Hæc enim ſumebat, ut reficeret tantùm vires. Cicero etiam in quintâ Tuſculanâ videtur leve & ſimplex prandium probaſſe, cùm inquit: *Vita illa beata, quæ ferebatur, plena Italicarum, Syracuſanarumque menſarum, nullo modo mihi placuit, bis in die ſaturum fieri.* Ariſtoteles tamen præcipit in Problematum Sectione III. oportere prandere largè, cenare parcè. & de Nerone ait Suetonius: *Prandebatque ad ſatietatem, ut non temerè ſuper cenam præter Matianum malum, & modicam in ampullâ potiunculam ſumeret.* Contra Cornelius Celſus libro I. capite I. *Bis die potius, quàm ſemel cibum capere, & ſemper quàm plurimùm, dummodo hunc concoquat.* Ex quibus locis ſatis conſtat prandio veteres uſos eſſe, ſive levius illud, ſive largius ſumerent. Sex. Pompejus: *Cena,* inquit, *apud antiquos dicebatur, quod*

nunc

nunc prandium : Veſperna quæ nunc cena appellatur. Idem alibi : *Prandium ex Græco dictum : nam meridianum cibum cenam vocabant.* Mihi tamen non liquet, quomodo prandium ex Græco ducatur. niſi fortè quòd πρὸ τοῦ ἐνδίου, hoc eſt ante tempus meridianum ſumebatur, inde dictum prandium Feſtus velit. nam Plutarchus Sympoſiacon libro VIII. ἄριστον ponit pro prandio, κληθῆναι ἄριστον dicit ἀπὸ τῆς ὥρας, ἔνδιον γὰρ τὸ δειλινὸν vocari. Prandium veteribus in uſu fuiſſe, præter ea quæ adduximus, multis aliis ſcriptorum teſtimoniis confirmari poteſt: nos paucis his contenti erimus. Plautus in Amphitruone:

Illo die impranſus fui :
Non placet hoc me noctis eſſe, cenavi modo.

&in Captivis:

Quò imus ad prandium, &c.
Ubi cenemus inquam?

inBacchide:

Quid

Quid ſi ad te veniat de ſubito prandium, aut potatio.
Fortè aut cena &c.
Ubi ego tum accumbam?

M. Cato tit. CLVII. prandium agnoſcit, cùm ait: *Si quem velis purgare, pridie ne cenet, & mane jejuno dato.* & Varro libro II. de re ruſticâ capite X. *Cibus eorum debet eſſe interdiu ſeparatim, veſpertinus in cenâ.* Cicero in Verrem: *Quid ego iſtius prandia, & cenas commemorem?* Capitolinus in Macrino: *Si prandiſſet vel privatim parciſſimus: in cenâ effuſiſſimus. Adhibuit convivio litteratos, ut loquens de ſtudiis liberalibus, neceſſariò abſtineret.* Hora prandii apud veteres, quæ fuerit, intelligi poteſt ex Suetonii verbis in Caligulâ capite LVIII. quæ ſunt hæc: *Nono Kal. Februarias, horâ quaſi ſeptimâ, cunctatus an ad prandium ſurgeret, marceſcente adhuc ſtomacho pridiani cibi onere, tandem ſuadentibus amicis egreſſus eſt.* & in Claudio capite XXXIV. *Beſtiariis,*

ſtiariis, meridianiſque adeò delectabatur, ut à primâ luce ad ſpectaculum deſcenderet, & meridie dimiſſo ad prandium populo perſederet. De meridianis autem gladiatoribus habetur apud Senecam l. 1. Epiſtolarum. Poſt prandium Iſidorus ponit merendam, quam dicit cibum fuiſſe, qui declinante die ſumeretur, quaſi eſſet poſt meridiem edenda, & proxima cenæ: unde & antecena à quibuſdam vocabatur. Merendæ mentionem facit Plautus in Moſtellaria Item Nonius, qui ait dici merendam cibum poſt meridiem. Feſtus tamen ſcribit merendam antiquos pro prandio dixiſſe, quòd ſcilicet medio die caperetur: ut videri poſſit veteres merendâ interdum pro prandio uſos fuiſſe. Hanc conſequebatur cena, quam Lamprias apud Plutarchum putat à Romanis παρὰ τὴν κοινωνίαν, dictam eſſe, quòd ſcilicet inter amicos convivium iniri ſoleret: nam δεῖπνον pro cenâ ponit: & ad-

dit τὸ μὲν γὰρ δεῖπνον φασὶ κοινάν διὰ τὴν κοινωνίαν καλεῖσθαι. Iſidorus autem libro xx. capite 11. de cenâ ita diſſerit: *Cena vocabatur à communione veſcentium,* κοινὸν *quippe Græci commune dicunt. Unde & communicantes, quod communiter, id eſt pariter conveniant. Apud veteres enim ſolitum erat in propatulo veſci, & communiter epulari, ne ſingularitas luxuriam gigneret. Eſt autem cena cibus veſpertinus, quam Veſpernam antiqui dicebant: in uſu enim non erant prandia.* Sed Iſidoro cum Feſto non convenit. qui ſcribit: *Cena apud antiquos dicebatur, quod nunc prandium: Veſperna, quæ nunc cena appellatur.* Cenæ apud veteres hora erat adtributa æſtate nona, hieme decima, ut ex Ciceronis epiſt. ad Pætum lib. IX. intelligitur, in quâ ita ſcriptum eſt: *Accubueram horâ nonâ, cùm id litterarum exemplum in codicillis exaravi:* & ex Martialis epigrammate, quod adduximus ſuprà, in quo ſic habetur:

Impe-

Imperat extructos frangere nona toros.

Itaque Iuvenalis Satyrâ I. Marium tamquam intempeſtivum convivam notat, quod horâ octavâ cenatum veniſſet, hoc verſu:

Exul ab octavâ Marius bibit & fruitur Dis
Iratis &c.

cùm Martialis libro II. dixerit:

Octavam poteris ſervare, cenabimus unà.

Erat enim octava hora adſignata lavationi æſtate, quam cena conſequebatur horâ ſequenti, hoc eſt, nonâ cùm hieme lavarentur nonâ, cenarent decimâ. Auctor ad Herennium libro IV. *Viſit triclinium ſtratum &c. vos huc decimâ venitote.* Plinius junior libro III. Epiſtolâ I. *Vbi hora balnei nuntiata eſt, eſt autem hieme nona, æſtate octava, in ſole, ſi caret vento. ambulat nudus. Deinde movetur pila vehementer, & diu. nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum*

ſenectute. Lotus accubat & pauliſper cibum differt. interim audit legentem remiſſius aliquid, & dulcius. Per hoc omne tempus liberum eſt amicis vel eadem agere, vel alia, ſi malint. Apponitur cena non minus nitida quam frugi, in argento puro, & antiquo. ſunt in uſu & Corinthia, quibus delectatur, & adficitur. Frequenter comœdis cena diſtinguitur; ut voluptates quoque ſtudiis condiantur. Sumit aliquid de nocte, & æſtate. Nemini hoc longum eſt, tantâ comitate convivium trahitur. Idem in epiſtolâ ad Macrum eodem libro: *Surgebat*, inquit, *æſtate à cenâ luce; hieme, intra primam noctis.* Quod autem dixit Plinius, balinei horam hieme nonam, æſtate octavam fuiſſe, referendum eſt ad eam diei partitionem, quam ſupra retulimus obſervatam à veteribus qui ſolaria in horas tam noctis, quam diei temporales, non æquinoctiales dividebant. nam ut nunc diem qui naturalis appellatur, dividimus in vi-

viginti quattuor ſcilicet horas æquales ab occaſu ſolis ad alterum occaſum. hora nona erat, quæ nunc apud nos vigeſima prima: & decima quæ vigeſima ſecunda atque hoc modo intelligendum eſt illud Marci, capite XV. & Lucæ capite XXIII. *Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram uſque in horam nonam*: hoc eſt ut nunc agimus, ab hora decimâ octavâ, uſque ad horam vigeſimam primam. nam menſe Martio, quo illa geſta ſunt, horæ veterum temporales, ut tunc partiebantur, ferè pares ſunt æquinoctialibus, ita ut prima hora diei ab antiquis appellata civilis, eadem ſit cum horâ decimâ tertiâ naturalis diei, ut nos partimur. Secunda, eadem cum quartâ decimâ, Tertia, cum quintâ decimâ. Quarta, cum ſextâ decimâ. Quinta, cum decimâ ſeptimâ. Sexta, cum decimâ octavâ. Septima, cum decimâ nonâ. Octava, cum vigeſimâ. Nona,

cum vigeſimâ primâ. Decima, cum vigeſimâ ſecundâ. & ſic deinceps. Dicebatur autem cena, à diſcumbentium recto ordine recta, cui opponebantur ſportulæ, & ut Græci dicunt, δεῖπνον ἐν σπυρίδι. Suetonius de Auguſto capite LXXIV. *Convivabatur aſſiduè, nec unquam niſi recta, non ſine magno ordinum, hominumque delectu.* & in Domitiano capite VII. *Sportulas publicas ſuſtulit, revocatâ cenarum rectarum conſuetudine.* hinc Martialis libro VII. ad Domitianum:

Grandia pollicitus quanto majora dediſti:
Promiſſa eſt nobis ſportula, recta data eſt.

& libro II.

En vocat ad cenam melior te Claſſice rectam.

& rurſus libro VII.

Rectam vocatus cur recurrit ad cenam.

Inde ſportula uſurpari cœpit pro ipſo cibo. Iuvenalis Satyrâ III.

Nonne

Nonne vides quanto celebretur ſportula fumo?

Uſurpatur etiam pro pecuniâ illâ, quæ cibi parandi cauſâ dabatur. Martialis:

Dat Bajana mibi quadrantes ſportula centum:

& alibi:

Centum miſelli jam valete quadrantes, &c.

Regis ſuperbi ſportulæ receſſerunt.

Cenæ quidem ipſæ, aliæ erant publicæ, aliæ vero privatæ. Ex cenis publicis nominantur à ſcriptoribus in primis Pontificiæ, de quibus dictum eſt in libro de Triclinio: & mentio fit ab Horatio libro II. ode XIV. cùm inquit:

—— & mero
Tingit pavimentum ſuperbo
Pontificum potiore cenis.

Nominantur item Augurales, quæ Adjiciales etiam dicebantur, de quibus Plinius libro X. capite XX. *Pavonem*, inquit, *primus occidit Hortenſius*

adiiciali cenâ ſacerdotii. & Varro libro III. capite VI. in codicibus manuſcriptis, *Primus*, inquit, *Q. Hortenſius Augurali adjiciali cenâ poſuiſſe dicitur.* & Macrobius libro III. capite XIII. *Primus bos Q. Hortenſius Augurali adjiciali cenâ dicitur appoſuiſſe*: Seneca libro XV. epiſtolâ XCVI. *Et toties tamen ſeſtertio adjiciales cenæ fortiſſimis viris conſtiterunt*: Ut dubitari non poſſit, quin adjicialis ſincerum ſit, præſertim adſtipulante Tacito, qui libro II. quaſi etymon ejus vocis oſtendit illis verbis: *Rheſcuporis ſanciendo (ut dictitabat) Fœderi convivium adjicit, tractâque in multam noctem lætitiâ per epulas ac vinolentiam.* Non tamen negarim extare apud me Plinii codicem à viro doctiſſimo collatum cum libro manuſcripto, in quo vox *adjicialis*, in *dapalis* mutata ſit: verùm, ut ſuſpicor, ex auctoritate Nonii Marcelli qui dapalem cenam dictam ait, quod ſit amplis dapibus plena,

& exem-

& exemplum Titinii affert ex Barbato, ubi eſt:

Toto ſit in foco de lignis mihi dapalis cena.

Unde & *dapaticè excepti*, Plautus dixit: quod ſignificare ait: Feſtus, magnificè, quo ſignificatu *dapſilis cena* dicitur à Suetonio in Veſpaſiano. Augurales igitur cenas, ſive adjiciales illas, ſive dapales dicamus, deſignat Cicero libro VII. epiſtolâ ad Gallum, cùm inquit: *In eos cùm incidiſſem in cenâ Augurali apud Lentulum.* Saliares cenæ celebrantur ab Horatio libro I. Carminum ode. XXXVII. cùm inquit:

—— nunc ſaliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erit dapibus ſodales.

Cicero libro V. epiſtolâ IX. ad Atticum: *Cum opiparè ſaliarem in modum epulati eſſemus.* Feſtus in Salios: *At Critolaus*, inquit, *Saonem ex Samothrace cum Ænea Deos Penates, qui Lavinium tranſtulerit, ſaliare genus*

ſaltandi inſtituiſſe, à quo appellatos Salios: quibus per omnes dies, ubicunque manent, quia amplæ ponuntur cenæ, ſi quæ aliæ magnæ ſunt, ſaliares appellantur. Apuleius libro IV. *Ut equus quidem meus tantâ copiâ, & quidem ſolus potitus, ſaliares cenas cenaſſe crederet.* Cereales cenæ laudantur à Plauto his verſibus in Menæchmis:

Cereales cenas dat, ita menſas extruit.
Tantas ſtruices concinnat patinarias.
Standum eſt in lecto, ſi quid de ſummo petas.

Cenas autem Capitolinas celebrat Martialis his verſibus:

Non Albana mihi ſit comeſſatio tanti,
Nec Capitolinæ, Pontificumque dapes.

• Cenæ populares nominantur à Plauto in Trinummo, his verſibus:

Quid

Quid tum ſi in ædem ad cenam venerit, &c.

Appoſita ſit cena, quã popularẽ vocant. Cenæ Triumphales habentur apud Plinium libro XIV. capite XV. in quo eſt: *Quid? non & C. Cæſar Dictator triumphi ſui cenâ vini Falerni amphoras, Chii cados in convivia diſtribuit? Idem Hiſpanienſi triumpho Chium & Falernum dedit.* & Livius in triumpho Manlii epulas ſcribit, & curâ & ſumptu majore apparari cœptas. Cenæ Nuptiales deſcribuntur ab Apuleio his verbis, libro VI. *Nec mora, cùm cena nuptialis affluens exhibetur. Accumbebat ſummum torum maritus: Pſychen gremio ſuo complexus, ſic & cum ſua Iunone Iuppiter, ac deinde per ordinem toti Dei. Tunc poculum nectaris, (quod unum Deorum eſt) Jovi quidem ſuus pocillator ille ruſticus puer, ceteris verò Liber miniſtrabat: Vulcanus cenam coquebat: Horæ roſis & ceteris floribus purpurabant, omnia Gratiæ ſpargebant balſama.*

Muſæ quoque canorâ voce perſonabant. Apollo cantavit ad citharam. Cenæ Natalitiæ, quæ fuerint, indicat Plautus Perſa:

——— hoc age, accumbe,
Nunc diem ſuavem meum natalem inter nos agitemus amœnum:
Date illi aquam manibus, apponite menſam.

Cicero libro II. Philippicarum: *Hodie non deſcendit Antonius. cur? dat natalitia in hortis.*

Juvenalis Satyrâ II.

Moris erat quondam feſtis ſervare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente novâ, ſiquam dabat hoſtia, carne.

Ferales cenæ ponuntur apud Feſtum in Feralia, de quibus Ovidius libro II. Faſtorum ita cecinit:

Hanc, quia juſta ferunt, dixere Feralia lucem.
Ultima placandis Manibus illa fuit:

Juve-

Juvenalis:

Ponitur exiguâ feralis cena patellâ.

Apuleius libro IV. Floridorum. *Exclamavit vivere hominem, procul ignes amolirentur, cenam feralem à tumulo ad menſam referrent.* Et hæc quidem de publicis veterum cenis. Dicendum nunc aliquid de privatis, quarum aliquas nominat Tertullianus in libro de animâ, cùm inquit: *Quid putas futuram animam homicidæ? aliquod credo pecus, lanienæ & macello deſtinatum? ut perinde juguletur, quia & ipſa jugulaverit: perinde in pabulum proponatur, quia & ipſa beſtiis objecerit eos, quos in ſilvis & arvis trucidaverit. Si ita judicabitur: nonne illa anima plus ſolatii, quàm ſupplicii relatura eſt, quòd funus inter cocos pretioſiſſimos invenit, quòd condimentis Apicianis & Lurconianis humatur, quòd menſis Ciceronianis infertur, quòd lancibus ſplendidiſſimis Sullanis offertur &c.* Cùm autem in vulga-

vulgatis libris editum ſit: *& ipſa beſtiis infecerit os, quas in ſilvis:* nos emendavimus: *& ipſa beſtiis objecerit eos, quos in ſilvis.* & paulò poſt legendum exiſtimamus: *Vt malit famæ ſuæ ornamenta, quàm gaudia,* non, *gaudeat.* Item: *Quod animal indues viro juſto Æaco?* non, *Deloco?* Sed cenas privatorum, quæ apud ſcriptores habentur, omnes perſequi infinitum eſſet. nos inſigniores aliquas ponemus, & in primis Cleopatræ, de quibus meminerunt Macrob. l. III. c. XVII. & Athenæus l. IV. in quo refert Cleopatram in Ciliciâ obviam Antonio factam, regium convivium apparaſſe, in quo vaſa omnia aurea, & gemmata fuerunt, ſingulari artificio elaborata, purpureiſque & auro intextis aulæis tecti parietes, triclinia duodecim lectis ſtracta. His adornatis, ad cenam Antonium cum iis quos libuit, Cleopatram invitaſſe, eiq; tantam magnificentiam non ſine ſtupore demiranti, ſurridentem dixiſſe,

illi

illi donare ſe omnia. Poſtridie rurſum ad cenam invitato cum amicis & ordinum ductoribus, advenientique, inſtructo ſplendidiùs epulo effeciſſe, ut priora illa exigua viderentur, iterumque dediſſe illi omnia, ac ducibus ſingulis lectum in quo accubuerant: & pocula ut in menſas diviſa fuerant, ſecum auferre permiſiſſe: digreſſuris, ſiqui antecellerent dignitate, lecticas cum lecticariis ſervis; plurimis equos argenteis phaleris ornatos, omnibus Æthiopicos pueros, qui facibus prælucerent, repræſentaviſſe. Die poſt quarto talenti ſumptu convehendas eam roſas curaſſe, & ad profundam altitudinem conſterni pavimentum juſſiſſe. Athenæi verba ſunt hæc: Ἀπαντήσασα τῷ Ἀντωνίῳ ἡ Κλεοπάτρα ἐν Κιλικίᾳ, παρεσκεύασεν αὐτῷ βασιλικὸν συμπόσιον, ἐν ᾧ πάντα χρύσεα, καὶ λιθοκόλλητα περιττῶς ἐξειργασμένα ταῖς τέχναις. ἦσαν δὲ καὶ οἱ τοῖχοι ἁλουργέσι καὶ διαχρύσοις ἐμπεπετασμένοι ὕφεσι, καὶ δια-

δώδεκα τρικλίνια διαςρώσασα, ἐκάλεσε τὸν Αντώνιον, μεθ' ὧν ἐβούλετο, ἡ Κλεοπάτρα. Τοῦ δὲ τῇ πολυτελείᾳ τῆς ὄψεως ἐκπλαγέντος, ὑπομειδιάσασα, ταῦτα ἔφη πάντα δωρεῖσθαι αὐτῷ. καὶ εἰς αὔριον παρεκάλει συνδειπνῆσαι πάλιν ἥκοντα μετὰ τῶν φίλων καὶ τῶν ἡγεμόνων, ὅτι καὶ πολλῷ κρεῖττον διακοσμήσασα τὸ συμπόσιον, ἐποίησε φανῆναι τὰ πρῶτα μικρά. καὶ πάλιν καὶ ταῦτα ἐδωρήσατο. τῶν δ' ἡγεμόνων ἐφ' ἧς ἕκαστος ἔκλιτο κλίνης, καὶ τὰ κυλίκια καθὼς ταῖς στρωμναῖς ἐμεμέριστο, ἑκάστῳ φέρειν ἐπέτρεψε καὶ κατὰ τὴν ἄφοδον τοῖς μὲν ἐν ἀξιώμασι φορεῖα σὺν τοῖς κομίζουσι, τοῖς πλείοσι δὲ καταργύροις σκευαῖς κεκοσμημένους ἵππους. πᾶσι δὲ λαμπτηροφόρους παῖδας Αἰθίοπας παρέστησε. τῇ δὲ τετάρτῃ τῶν ἡμερῶν ταλαντιαίους εἰς ῥόδα μισθοὺς δέδωκε, καὶ κατεστρώθη ἐπὶ πυκνὰ βάθη τὰ ἐδάφη. Macrobius vero ſic habet : *His legibus annumerarem edictum de ſumptibus ab Antonio propoſitum, qui poſt Triumvir fuit, ni indignum crederem, inter cohibentes ſumptus Antonio locum facere:*

cere: cujus expenſæ in cenam ſolita conferri, ſola unionis à Cleopatrâ uxore conſumpti æſtimatione ſuperatæ ſunt. Nam cùm Antonius quicquid mari, aut terrâ, aut etiam cælo gigneretur, ad ſatiandam ingluviem ſuam natum exiſtimans, faucibus ac dentibus ſuis ſubderet: eâque re captus, de Romano imperio facere vellet Ægyptium regnum: Cleopatra uxor, quæ vinci ab Romanis nec luxuria dignaretur, ſponſione provocavit, inſumere poſſe in unam cenam ſeſtertium centies. Id Antonio mirum viſum: nec moratus, ſponſione contendit digna ſculna Munatio Planco, qui tam honeſti certaminis arbiter electus eſt. Alterâ die Cleopatra pertentans Antonium, pollucibilem ſanè cenam paravit, ſed quam non miraretur Antonius: quippe qui omnia, quæ apponebantur, ex quotidianis opibus agnoſceret. Tunc regïna arridens, phialam popoſcit, cui aceti nonnihil acris infudit, atque illuc unionem demptum ex aure alterâ feſtinabunda demiſit:

eumque

eumque maturè diſſolutum, uti natura eſt ejus lapidis, abſorbuit. Et quamvis eo facto ſponſione viciſſet, quippe cùm ipſa margarita centies ſeſtertium ſine contentione valuiſſet, manum tamen & ad alterius unionis aurem ſimiliter admovit, niſi Munatius Plancus judex ſeveriſſimus ſuperatum Antonium maturè pronuntiaſſet. Ipſe autem unio cujus magnitudinis fuerit, inde colligi poterit, quod qui ſuperfuit, poſtea victâ reginâ, & captâ Ægypto, Romam delatus, diſſectuſque eſt, & factæ ex unâ margaritâ duæ, impoſitæque ſimulacro Veneris, ut monſtruoſæ magnitudinis: in templo, quod Pantheum dicitur. Scripſimus autem apud Macrobium, non ut in vulgatis libris corruptè legitur, *dignus culina Munatio Planco*, ſed, *digna ſculna Munatio Planco*: ſecuti lectionem vetuſti codicis, confirmatam teſtimonio Agellii, qui libro XX. capite X. docet ſculnam ab antiquis dictam fuiſſe, quaſi ſeculnam, id eſt, ſequeſtrem, quòd ejus fidem utraque

pars,

pars, quæ ſponſiones feciſſet, ſequeretur. Quæ autem de diſſecto unione ſcripſit Macrobius eadem leguntur apud Plinium libro IX. cap. XXXV. his verbis: *Duo fuere maximi uniones per omne ævum, utrumque poſſedit Cleopatra, Ægypti reginarum noviſſima, per manus orientis regum ſibi traditos. Hæc cùm exquiſitis quotidie Antonius ſaginaretur epulis, ſuperbo ſimul ac procaci faſtu, ut regina meretrix lautitiam ejus omnem apparatumque obtrectans, quærente eo, quid aſtrui magnificentiæ poſſit,* reſpondit, *unâ ſe cenâ centies* HS. *abſumpturam. Cupiebat diſcere Antonius, ſed fieri poſſe non arbitrabatur. Ergo ſponſionibus factis, poſtero die quo judicium agebatur, magnificam alias cenam, ne dies periret, ſed quotidianam Antonio appoſuit, irridenti, computationemque expoſtulanti. At illa corollarium id eſſe, conſumpturamque ſe in eâ cenâ taxationem confirmans,* (ſive ut eſt in V. C. *& conſummpturam eam cenam taxationem confirmans*) *ſolamque centies ſe* HS. *cenaturam,*

turam, inferri menſam ſecundam juſſit. Ex præcepto miniſtri unum tantum vas ante eam poſuere aceti, cujus aſperitas viſque in tabem margaritas reſolvit. Gerebat auribus tum maximè ſingulare illud, & verè unicum naturæ opus. Itaque expectante Antonio quid nam eſſet actura, detractum alterum merſit, ac liquefactum abſorbuit. Injecit alteri manum L. Plancus judex ſponſionis ejus, eum quoque paranti ſimili modo abſumere, victumque Antonium pronuntiavit homine irato. (ſive ut nos putamus legendum, *omine ei rato.*) *Comitetur fama unionis ejus parem, captâ illâ tantæ quæſtionis victrice reginâ diſſectum, ut eſſet in utriſque Veneris auribus Romæ in Pantheo dimidia eorum cena.* Alexandri Magni cenam, itemque regis Perſarum deſcribit Athenæus loco ſuprememorato, in quo refert Menandrum, maximum cenæ ſumptum & immoderatum, ſtatuere talentum, cùm tamen in cenâ regis Perſarum referente

rente Cteſiâ apud eundem Athenæum, talenta quattuor impenderentur in convivarum millia quindecim: Alexander autem Ephippo auctore, minas centum expenderet in convivas ſexaginta, vel ſeptuaginta. Capitolinus de Cenâ L. Veri ita ſcribit: *Omne autem convivium æſtimatum dicitur ſexagies centenis millibus* HS. Cena pura apud Romanos quæ fuerit, quæri poteſt: videtur autem fuiſſe jejunium quoddam, & abſtinentia ciborum, qualem veteres in caſto Cereris uſurpabant. Apuleius in Aſclepio: *Hoc optantes, convertimus nos ad puram, & ſine animalibus cenam.* Græci cenam ſine ſanguine dixerunt, ob quam ſcilicet nullæ cæderentur animantes, ſed convivantibus olera tantum, & terrâ nata apponerentur: & quam Plautus ob id terreſtrem cenam appellavit in Captivis: & Diphilus apud Athenæum libro VI. cenam ſine ſanguine his verſibus:

Ἐὰν

Ἐὰν ᾖ πλάγιος ἢ λεπτὸς, εὐθέως νοῶ
Ὅτι ἐςτό μοι τὰ δεῖπνον, ἀλλ' ἐδ' αἷμ'
ἔχει.

Ex fumo enim culinæ paraſitus de cenâ, an ſine ſanguine eſſet, conjecturam facit. Hujuſmodi quandam cenam innuit Spartianus in Didio Juliano, cùm inquit: *Sæpe autem nullâ exiſtente religione, oleribus, leguminibuſque contentus, ſine carne cenavit.* S. Auguſtinus in Joannem tractatu CVII. & CXX. ſuper illo loco: *Propter paraſceven Iudaeorum: Acceleratam*, inquit, *vult intelligi ſepulturam, ne adveſperaſceret, quando jam propter paraſceven, quam cenam puram Iudæi latinè uſitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.* & vetus Gloſſarium, cenam puram interpretatur παρασκευὴν, ſive, προσάββατον. Marcus XV. Καὶ ὀψίας ἤδη γενομένης, ἐπεὶ ἦν παρασκευὴ, ὅ ἐςι προσάββατον, & ut Latinè vertit S. Hieronymus: *Et cùm jam ſero eſſet factum, quia erat paraſceve, quod eſt ante Sabbatum.*

Feſtus

Feſtus in Penem ſcribit offam penitam in cenis puris darī ſolitam fuiſſe. *Penem*, inquit, *antiqui codam vocabant, à quâ antiquitate etiamnum offa porcina cum caudâ in cenis puris, offa penita vocatur.* Huic quodammodo opponitur cena, quam Plautus ebriam vocat in Caſinâ. Terentius verò dubiam in Phormione: Plauti verſus ſunt hī:

Facite cenam mihi, ut ebria ſit:
Cenare lepidè, nitidèque volo.

Terentius:

Cenâ dubia apponitur.
Quid iſtuc verbi eſt?
Ubi tu dubites quid ſumas potiſſimum.

Videtur enim opiparam cenam, & cibis conquiſitiſſimis extructam uterque ſignificare. cujuſmodi narrantur cenæ Lurconianæ M. Aufidii, de quō Plinius libro x. capite xx. & Apicianæ, quarum meminit idem Plinius lib. x. cap. XLVIII. his verbis: *Phœnicopteri linguam præcipui ſaporis eſſe,*

vulgatis libris editum ſit: *& ipſa beſtiis infecerit os, quas in ſilvis:* nos emendavimus: *& ipſa beſtiis objecerit eos, quos in ſilvis.* & paulò poſt legendum exiſtimamus: *Vt malit famæ ſuæ ornamenta, quàm gaudia*, non, *gaudeat*. Item: *Quod animal indues viro juſto Æaco?* non, *Deloco?* Sed cenas privatorum, quæ apud ſcriptores habentur, omnes perſequi infinitum eſſet. nos inſigniores aliquas ponemus, & in primis Cleopatræ, de quibus meminerunt Macrob. l. III. c. XVII. & Athenæus l. IV. in quo refert Cleopatram in Ciliciâ obviam Antonio factam, regium convivium apparaſſe, in quo vaſa omnia aurea, & gemmata fuerunt, ſingulari artificio elaborata, purpureiſque & auro intextis aulæis tecti parietes, triclinia duodecim lectis ſtracta. His adornatis, ad cenam Antonium cum iis quos libuit, Cleopatram invitaſſe, eiq; tantam magnificentiam non ſine ſtupore demiranti, ſurridentem dixiſſe,

illi

illi donare ſe omnia. Poſtridie rurſum ad cenam invitato cum amicis & ordinum ductoribus, advenientique, inſtructo ſplendidiùs epulo effeciſſe, ut priora illa exigua viderentur, iterumque dediſſe illi omnia, ac ducibus ſingulis lectum in quo accubuerant: & pocula ut in menſas diviſa fuerant, ſecum auferre permiſiſſe: digreſſuris, ſiqui antecellerent dignitate, lecticas cum lecticariis ſervis; plurimis equos argenteis phaleris ornatos, omnibus Æthiopicos pueros, qui facibus prælucerent, repræſentaviſſe. Die poſt quarto talenti ſumptu convehendas eam roſas curaſſe, & ad profundam altitudinem conſterni pavimentum juſſiſſe. Athenæi verba ſunt hæc: Απαντήσασα τῷ Αντωνίῳ ἡ Κλεοπάτρα ἐν Κιλικίᾳ, παρεσκεύασεν αὐτῷ βασιλικὸν συμπόσιον, ἐν ᾧ πάντα χρύσεα, καὶ λιθοκόλλητα περιττῶς ἐξειργασμένα ταῖς τέχναις. ἦσαν δὲ καὶ οἱ τοῖχοι ἁλουργέσι καὶ διαχρύσοις ἐμπεπετασμένοι ὕφεσι, καὶ δια-

δώδεκα τρικλίνια διαστρώσασα, ἐκάλεσε τὸν Ἀντώνιον, μεθ' ὧν ἐβούλετο, ἡ Κλεοπάτρα. Τοῦ δὲ τῇ πολυτελείᾳ τῆς ὄψεως ἐκπλαγέντος, ὑπομειδιάσασα, ταῦτα ἔφη πάντα δωρεῖσθαι αὐτῷ. καὶ εἰς αὔριον παρεκάλει συνδειπνῆσαι πάλιν ἥκοντα μετὰ τῶν φίλων καὶ τῶν ἡγεμόνων, ὅτι καὶ πολλῷ κρεῖττον διακοσμήσασα τὸ συμπόσιον, ἐποίησε φανῆναι τὰ πρῶτα μικρά. καὶ πάλιν καὶ ταῦτα ἐδωρήσατο. τῶν δ' ἡγεμόνων ἐφ' ᾗ ἕκαστος ἔκλιτο κλίνῃ, καὶ τὰ κυλίκια καθὼς ταῖς στρωμναῖς ἐμεμέριστο, ἑκάστῳ φέρειν ἐπέτρεψε καὶ κατὰ τὴν ἄφοδον τοῖς μὲν ἐν ἀξιώμασι φορεῖα σὺν τοῖς κομίζουσι, τοῖς πλείοσι δὲ κατηργύροις σκευαῖς κεκοσμημένους ἵππους. πᾶσι δὲ λαμπτηροφόρους παῖδας Αἰθίοπας παρέστησε. τῇ δὲ τετάρτῃ τῶν ἡμερῶν ταλαντιαίους εἰς ῥόδα μισθοὺς δέδωκε, καὶ κατεστρώθη ἐπὶ πυκνὰ βάθη τὰ ἐδάφη. Macrobius vero ſic habet : *His legibus annumerarem edictum de ſumptibus ab Antonio propoſitum, qui poſt Triumvir fuit, ni indignum crederem, inter cohibentes ſumptus Antonio locum facere:*

cere: cujus expenſæ in cenam ſolita conferri, ſola unionis à Cleopatrâ uxore conſumpti æſtimatione ſuperatæ ſunt. Nam cùm Antonius quicquid mari, aut terrâ, aut etiam cælo gigneretur, ad ſatiandam ingluviem ſuam natum exiſtimans, faucibus ac dentibus ſuis ſubderet: eâque re captus, de Romano imperio facere vellet Ægyptium regnum: Cleopatra uxor, quæ vinci ab Romanis nec luxuria dignaretur, ſponſione provocavit, inſumere poſſe in unam cenam ſeſtertium centies. Id Antonio mirum viſum: nec moratus, ſponſione contendit digna ſculna Munatio Planco, qui tam honeſti certaminis arbiter electus eſt. Alterâ die Cleopatra pertentans Antonium, pollucibilem ſanè cenam paravit, ſed quam non miraretur Antonius: quippe qui omnia, quæ apponebantur, ex quotidianis opibus agnoſceret. Tunc regina arridens, phialam popoſcit, cui aceti nonnihil acris infudit, atque illuc unionem demptum ex aure alterâ feſtinabunda demiſit:

eumque

eumque maturè diſſolutum, uti natura eſt ejus lapidis, abſorbuit. Et quamvis eo facto ſponſione viciſſet, quippe cùm ipſa margarita centies ſeſtertium ſine contentione valuiſſet, manum tamen & ad alterius unionis aurem ſimiliter admovit, niſi Munatius Plancus judex ſeveriſſimus ſuperatum Antonium maturè pronuntiaſſet. Ipſe autem unio cujus magnitudinis fuerit, inde colligi poterit, quod qui ſuperfuit, peſtea victâ reginâ, & captâ Ægypto, Romam delatus, diſſectuſque eſt, & factæ ex unâ margaritâ duæ, impoſitæque ſimulacro Veneris, ut monſtruoſæ magnitudinis: in templo, quod Pantheum dicitur. Scripſimus autem apud Macrobium, non ut in vulgatis libris corruptè legitur, *dignus culina Munatio Planco*, ſed, *digna ſculna Munatio Planco*: ſecuti lectionem vetuſti codicis, confirmatam teſtimonio Agellii, qui libro xx. capite x. docet ſculnam ab antiquis dictam fuiſſe, quaſi ſeculnam, id eſt, ſequeſtrem, quòd ejus fidem utraque pars,

pars, quæ ſponſiones feciſſet, ſequeretur. Quæ autem de diſſecto unione ſcripſit Macrobius eadem leguntur apud Plinium libro IX. cap. XXXV. his verbis: *Duo fuere maximi uniones per omne ævum, utrumque poſſedit Cleopatra, Ægypti reginarum noviſſima, per manus orientis regum ſibi traditos. Hæc cùm exquiſitis quotidie Antonius ſaginaretur epulis, ſuperbo ſimul ac procaci faſtu, ut regina meretrix lautitiam ejus omnem apparatumque obtrectans, quærente eo, quid aſtrui magnificentiæ poſſit,* reſpondit, *unâ ſe cenâ centies* HS. *abſumpturam. Cupiebat diſcere Antonius, ſed fieri poſſe non arbitrabatur. Ergo ſponſionibus factis, poſtero die quo judicium agebatur, magnificam alias cenam, ne dies periret, ſed quotidianam Antonio appoſuit, irridenti, computationemque expoſtulanti. At illa corollarium id eſſe, conſumpturamque ſe in eâ cenâ taxationem confirmans,* (ſive ut eſt in V. C. *& conſumpturam eam cenam taxationem confirmans*) *ſolamque centies ſe* HS. *cenaturam,*

turam, inferri menſam ſecundam juſſit. Ex præcepto miniſtri unum tantum vas ante eam poſuere aceti, cujus aſperitas viſque in tabem margaritas reſolvit. Gerebat auribus tum maximè ſingulare illud, & verè unicum naturæ opus. Itaque expectante Antonio quidnam eſſet actura, detractum alterum merſit, ac liquefactum abſorbuit. Injecit alteri manum L. Plancus judex ſponſionis ejus, eum quoque paranti ſimili modo abſumere, victumque Antonium pronuntiavit homine irato. (ſive ut nos putamus legendum, *omine ei rato.*) *Comitetur fama unionis ejus parem, captâ illâ tantæ quæſtionis victrice reginâ diſſectum, ut eſſet in utriſque Veneris auribus Romæ in Pantheo dimidia eorum cena.* Alexandri Magni cenam, itemque regis Perſarum deſcribit Athenæus loco ſupramemorato, in quo refert Menandrum, maximum cenæ ſumptum & immoderatum, ſtatuere talentum, cùm tamen in cenâ regis Perſarum referente

rente Cteſiâ apud eundem Athenæum, talenta quattuor impenderentur in convivarum millia quindecim: Alexander autem Ephippo auctore, minas centum expenderet in convivas ſexaginta, vel ſeptuaginta. Capitolinus de Cenâ L. Veri ita ſcribit: *Omne autem convivium æſtimatum dicitur ſexagies centenis millibus* HS. Cena pura apud Romanos quæ fuerit, quæri poteſt: videtur autem fuiſſe jejunium quoddam, & abſtinentia ciborum, qualem veteres in caſto Cereris uſurpabant. Apuleius in Aſclepio: *Hoc optantes, convertimus nos ad puram, & ſine animalibus cenam.* Græci cenam ſine ſanguine dixerunt, ob quam ſcilicet nullæ cæderentur animantes, ſed convivantibus olera tantum, & terrâ nata apponerentur: & quam Plautus ob id terreſtrem cenam appellavit in Captivis: & Diphilus apud Athenæum libro VI. cenam ſine ſanguine his verſibus:

Eἀν

Ἐὰν ᾖ πελάγιος καὶ λεπτὸς, εὐθέως νοῶ
Ὅτι ἐστό μοι τὸ δεῖπνον, ἀλλ' οὐδ' αἷμ'
ἔχει.

Ex fumo enim culinæ paraſitus de cenâ, an ſine ſanguine eſſet, conjecturam facit. Hujuſmodi quandam cenam innuit Spartianus in Didio Juliano, cùm inquit: *Sæpe autem nullâ exiſtente religione, oleribus, leguminibuſque contentus, ſine carne cenavit.* S. Auguſtinus in Joannem tractatu CVII. & CXX. ſuper illo loco: *Propter paraſceven Iudaorum: Acceleratam*, inquit, *vult intelligi ſepulturam, ne adveſperaſceret, quando jam propter paraſceven, quam cenam puram Iudæi latinè uſitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.* & vetus Gloſſarium, cenam puram interpretatur παρασκευὴν, ſivè, προσάββατον. Marcus XV. Καὶ ὀψίας ἤδη γενομένης, ἐπεὶ ἦν παρασκευὴ, ὅ ἐστι προσάββατον, & ut Latinè vertit S. Hieronymus: *Et cùm jam ſero eſſet factum, quia erat paraſceve, quod eſt ante Sabbatum.*

Feſtus

Feſtus in Penem ſcribit offam penitam in cenis puris dari ſolitam fuiſſe. *Penem*, inquit, *antiqui codam vocabant, à quâ antiquitate etiamnum offa porcina cum caudâ in cenis puris, offa penita vocatur.* Huic quodammodo opponitur cena, quam Plautus ebriam vocat in Caſinâ. Terentius verò dubiam in Phormione: Plauti verſus ſunt hi:

Facite cenam mihi, ut ebria ſit:
Cenare lepidè, nitidèque volo.

Terentius:

Cenâ dubia apponitur.
Quid iſtuc verbi eſt?
Ubi tu dubites quid ſumas potiſſimum.

Videtur enim opiparam cenam, & cibis conquiſitiſſimis extructam uterque ſignificare. cujuſmodi narrantur cenæ Lurconianæ M. Aufidii, de quo Plinius libro x. capite xx. & Apicianæ, quarum meminit idem Plinius lib. x. cap. XLVIII. his verbis: *Phœnicopteri linguam præcipui ſaporis eſſe,*

Phœnicopteri linguam præcipui ſaporis eſſe, Apicius docuit nepotum omnium altiſſimus gurges. & libro VIII. capite LI. de ſuibus: *Adhibetur & ars jecori feminarum ſicut anſerum, inventum M. Apicii, fico caricâ ſaginatis, ac ſatie necatis repentè mulſi potu dato.* Sed liber manuſcriptus habet, *fico aridâ:* & pro *ſatie necatis*, putamus legendum, *ſiti enectis:* ita enim poſtulat ſententia, ut legatur, vel ex iis, quæ ſequuntur. Lampridius in Elagabalo ita de Apicii cenis ſcribit: *Nunquam minus centum* HS. *cenavit, hoc eſt, argenti libris* XXX. *aliquando autem tribus millibus* HS. *cenavit, omnibus ſupputatis, quæ impendit: cenas vero Vitellii & Apicii vicit.* Item: *Comedit ſæpius ad imitationem Apicii calcanea camelorum, & criſtas vivis gallinaceis demptas, linguas pavonum & luſciniarum: quod qui ederet, epilepſia tutus diceretur.* & poſt de Elagabalo: *Amabat ſibi pretia majora dici earum rerum, quæ menſæ*

menſæ parabantur, *orexin convivio hanc eſſe aſſerens*. & alibi ſcribit Elagabalum ad Apicii item imitationem exhibuiſſe aliquando Palatinis ingentes dapes extis mullorum refertas, & cerebellis phœnicopterum, & perdicum ovis, & cerebellis turdorum, & capitibus pſittacorum, & faſianorum, & pavonum. Libet autem hic de veterum quoque parſimoniâ in cenis, quoniam de luxu dictum eſt, antiquum Senatûs decretum proferre, quod refert Agellius libro II. capite XXIV. vel potius integrum caput Agelii ponam, ut legitur apud me ex veteris codicis collatione emendatum. *Legi*, inquit, *adeò nuper in Capitonis Atei conjectaneis Senatûs decretum vetus C. Fannio, & M. Valerio Meſſalâ Coſ. factum, in quo jubentur principes civitatis, qui ludis Megalenſibus antiquo ritu mutuitarent, id eſt mutua inter ſeſe dominia agitarent, jurare apud Coſ. verbis conceptis*,

non amplius in ſingulas cenas ſumptus eſſe facturos, quàm centenos vicenoſque æris, præter olus, & far, & vinum: neque vino alienigena, ſed patrio uſuros: neque argenti in convivio plus pondo, quàm libras centum illaturos. Sed poſt id Senatuſconſultum, lex Fannia lata eſt, quæ ludis Romanis, item ludis Plebeiis & Saturnalibus, & aliis quibuſdam diebus in ſingulos dies centenos æris inſumi conceſſit, decemque aliis diebus in ſingulis menſibus tricenos, ceteris autem omnibus diebus denos. Hanc Lucilius poëta legem ſignat, cùm dicit:

Fannii centuſſiſque miſellos.

In quo erraverunt quidam commentariorum in Lucilium ſcriptores, quòd putaverunt Fanniâ lege perpetuos in omne dierum genus centenos æris ſtatutos. Centum enim æris Fannius conſtituit, ſicuti ſuprà dixi, feſtis quibuſdam diebus, eoſque ipſos dies nominavit. Aliorum autem dierum omnium in ſingulos dies ſumptus incluſit, intra

æris

æris aliàs tricenos, aliàs denos. Lex deinde Licinia rogata eſt, quæ cùm certis diebus, ſicuti Fannia, centenos æris impendi permiſiſſet, nuptiis ducenos indulſit, ceteriſque diebus ſtatuit æris tricenos: cùm & carnis aridæ, & ſalſamenti certa pondera in ſingulos dies conſtituerit. Sed quidquid eſſet tum è terrâ, vite, arboreque, promiſcuè, atque indefinitè largita eſt. Hujus legis Livius poëta meminit in Erotopægniis. Verba Livii hæc ſunt. quibus indicat hœdum, qui ad epulas fuit allatus dimiſſum, cenamque, ita ut lex Licinia ſanxiſſet, pomis, oleribuſque inſtructam. Lex Licinia, inquit, *introducitur, lux liquida hœdo redditur. Lucilius quoque legis iſtius meminit in his verbis: legem vitemus Licini. Poſtea L. Sulla Dictator, cùm legibus iſtis ſitu atque ſenio obliteratis, plerique in patrimoniis amplis helluarentur, & familiam, pecuniamque ſuam prandiorum gurgitibus proluiſſent, legem ad populum tulit, quâ cau-*

tum eſt, ut calendis, idibus, nonis, diebuſque ludorum, & feriis quibuſdam ſolemnibus HS. *tricenos in cenam inſumere, jus poteſtaſque eſſet: ceteris autem aliis diebus omnibus, non ampliùs ternos. Præter has leges, Æmiliam quoque legem invenimus, quâ lege non ſumptus cenarum, ſed ciborum genus, & modus præfinitus eſt. lex deinde Antia, præter ſumptum æris id etiam ſanxit, ut qui magiſtratus eſſet, Magiſtratumve captaturus eſſet, ne quò ad cenam, niſi ad certas perſonas itaret. Poſtremò lex Iulia ad populum pervenit Cæſare Auguſto imperante, quâ pro feſtis quidem diebus ducenti finiuntur: Calendis, Idibus, Nonis, & aliis quibuſdam feſtis trecenti: nuptiis autem & repotiis* HS. *mille. Eſſe etiam dicit Capito Atejus edictum (Divi ne Auguſti, an Tiberii Cæſaris non ſatis commemini) quo edicto per dierum varias ſolennitates à* CCC. HS. *aduſque duo millia ſumptus cenarum propagatus eſt, ut his ſaltem finibus luxuriæ effer-*

efferveſcentis æſtus coërceretur. Scripſimus apud Agellium, *in Capitonis Atei Conjectaneis*, non ut vulgò legitur, *Collectaneis*: ſecuti auctoritatem vetuſti codicis, qui tum hic, tum infra libro IV. capite XIV. habet: *Cùm librum* VIII. *Atei Capitonis Conjectaneorum legeremus*, non ut in vulgatis, *Collectaneorum.* atque hæc ſcriptura ſatis ab ipſo Agellio confirmatur duobus locis infrà libro XIV. capite VII. cùm inquit: *Quod Atejus Capito in Conjectaneis ſcriptum reliquit.* & capite VIII. *Atejus Capito in Conjectaneorum ducenteſimo quinquageſimo nono.* Scripſimus item, *mutuitarent*, non *mutitarent*, quo verbo utitur Plautus: & *dominia*, non *convivia*: in eo quoque vetuſtum codicem ſecuti, confirmatum præſertim Nonii auctoritate, qui ſcribit: *Dominus rurſum appellatur convivii exhibitor: unde & dominia, convivia.* Lucilius Satyrarum libro XIII. *Primum dominia at-*

que ſodalitia tolluntur. Item ſcripſimus : *Hujus legis Livius poëta meminit in Erotopægniis. Verba Livii hæc ſunt* : non, *Lælius*, & *Lælii.* Sic enim habet vetuſtus codex, cujus lectionem confirmat Auſonius in centone nuptiali, cùm inquit : *Quid antiquiſſimi poëtæ Livii Erotopægnion libros loquar?* Item : *Calendis, Idibus, Nonis, & aliis quibuſdam feſtis trecenti : nuptiis autem ac repotiis*, HS. *mille*, non, *feſtivis*, & *millies*, ut malè legitur in libris vulgatis. Legis autem Fanniæ, quam Agellius recitavit, meminit Plinius libro x. capite L. his verbis : *Gallinas ſaginare Deliaci cœpere : unde peſtis exorta, opimas aves, & ſuopte corpore unctas devorandi. Hoc primum antiquis cenarum interdictis exceptum invenio jam lege C. Fannii Coſ.* XI. *annis ante tertium Punicum bellum, nequid volucrum* (ſive *volucre*, ut eſt in libro manuſcripto) *poneretur præter unam gallinam, quæ non eſſet altilis : quod deinde*

deinde caput tranſlatum, per omnes leges ambulavit. Inventumque diverticulum eſt, in fraude earum gallinaceos quoque paſcendi lacte madidis cibis: multò ita gratiores approbantur, &c. Athenæus libro VI. nonnulla Fanniæ legis capita refert, & in primis de numero convivarum. ait enim: Ἐκέλευε δὲ ὁ νόμος, τριῶν μὲν πλείονας ἔξω τῆς οἰκίας μὴ ὑποδέχεσθαι. κατ᾽ ἀγορὰν δὲ τῶν πέντε. τοῦτο δὲ τρὶς τοῦ μηνὸς ἐγίνετο. ὀψωνεῖν δὲ πλείονος δυοῖν δραχμῶν καὶ ἡμίσους οὐκ ἐπέτρεπε. Κρέως δὲ καπνιστοῦ δεκαπέντε τάλαντα δαπανᾶν εἰς τὸν ἐνιαυτὸν ἐπεχώρει, καὶ ὅσα γῆ φέρει λάχανα, καὶ ὀσπρείων ἑψήματα. Præter eas autem leges, quas Agellius adduxit de veterum parſimoniâ in cenis, Macrobius libro III. capite XVII. addit Orchiam, quàm tulit C. Orchius Tribunus plebis de Senatûs ſententiâ, tertio anno, quam Cato Cenſor fuerat. Summa autem ejus legis præſcribebat numerum convivarum. Item Didiam, cujus ferundæ duplex

cauſa fuit : Prima & potiſſima, ut univerſa Italia, non ſola Urbs, lege ſumptuariâ teneretur. Italis æſtimantibus Fanniam legem, non in ſe, ſed in ſolos urbanos cives eſſe conſcriptam. Deinde, ut non ſoli, qui prandia, cenaſve majore ſumptu feciſſent, ſed etiam qui ad eas vocati eſſent, atque omnino interfuiſſent, pœnis legis tenerentur, atque hæc ſatis ſuperque de veterum parſimoniâ in cenis: nam illa quæ de quorundam potius illiberalitate, quàm parſimoniâ referuntur, ponenda non puto. De Didio Juliano narrat Spartianus, tantæ eum parſimoniæ fuiſſe, ut per triduum porcellum, per triduum leporem divideret, ſiquis ei fortè miſiſſet. Cenam conſequebatur comeſſatio, qui cibus poſt cenam ſumebatur. Inde comeſſari dicebant, poſt cenam epulari. Suetonius in Tito capite VII. *Quòd ad mediam noctem comeſſationes cum profuſiſſimo quoque familiarium extenderet.*

deret. Et in Domitiano capite XXI. *Convivabatur*, inquit, *frequenter, ac largè, ſed pænè raptim, certè non ultra ſolis occaſum, nec ut poſtea comeſſaretur.* Livius libro XL. *Demetrius jam cenatus, quin comeſſatum,* inquit, *ad fratrem imus?* Dictam autem comeſſationem à Græco verbo κῶμος, Varro ſcribit libro VI. Feſtus in epitoma. *Comiſatio,* inquit, *à vicis, quos Græci κώμους dicunt, appellatur: in his enim habitabant prius, quam oppida conderentur, quibus in locis alii alios convictus cauſâ invitabant.* Velius Longus in libro de orthographiâ, *At in comiſatore,* inquit, *utramq; conſonantem ſimplicem ponamus: nam aut à comitate vox ducta eſt, aut à Græco, ἀπὸ τῆ κῶμον. S. verò geminata vocis ſonum exaſperat.* Ex his igitur Scriptorum locis, quos adduximus, intelligere poſſumus veteres Romanos jentaſſe, prandiſſe, cenaſſe, comiſaſſe: Sed jentaculum quidem, & comeſſationem paucorum hominum: pran-

dium verò & cenam omnibus communem fuiſſe: & prandium quidem levius, & ſecretum: cenam verò largiorem, & in propatulo cum amicis iniri ſolitam fuiſſe. Pranſuri autem veteres Romani, aut cenaturi, tres lectos ſternere ſoliti erant, à quibus Triclinium Græco nomine appellatur locus etiam ipſe, in quo tres illi lecti ſternerentur. Nam Servius negans triclinium dici baſilicam, aut cenationem, quam cenatiunculam vocat Sidonius, ſtipadio ſtratam, ſatis arguitur à Fabio Quintiliano, & Valerio Maximo, qui quod de Scopâ loquens Cicero dixit conclave, interpretantur triclinium. Servus qui ſternendis lectis præerat, quique ob id Lectiſterniator dicitur à Plauto, curabat per Mediaſtinos, ut opinor, ſcopis mundari triclinium prius, quàm lecti ſternerentur, ut indicat Plautus in Aſinariâ, cùm ait:

Juſſin'

Juſſin' ſceleſte ab januâ hoc ſtercus
auferri?
Iuſſin' columnis dejicier operas ara-
nearum?
Iuſſine in ſplendorem dari bullas has
foribus noſtris?

& in Pſeudolo:

Hæc cùm ego à foro revertor, facite
ut offendam parata,
Vorſa, præſterga, ſtrata, lautaque,
coctaque omnia uti ſient;
Nam mihi hodie natalis dies eſt: de-
cet eum omnes vos concelebrare.

Item:

Tu eſto Lectiſterniator, tu argen-
tum eluito, atque extruito

Juvenalis Satyrâ XIV.

Hoſpite venturo ceſſabit nemo tuo-
rum:
Verte pavimentum, nitidas oſtende
columnas,
Arida cum tota deſcendat aranea
tela:
Hic lavet argentum, vaſa aſpera ter-
geat alter.

Horatius libro II. Sermonum Satyrâ IV.

Magna movent ſtomacho faſtidia, ſi puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit:
Sive gravis veteri crateræ limus adhæſit.
Vilibus in ſcopis, in mappis, in ſcobe quantus
Conſiſtit ſumptus? neglectis flagitium ingens.
Te ne lapides varios lutulentâ radere planta,
Et Tyrias dare circum illota toralia veſtes.

Ejuſdem, ut opinor, Lectiſterniatoris, ſive Mediaſtini munus erat, aulæis & velis triclinium inſternere, quæ pulverem exciperent, ne dapes inquinaret. Horatius libro ſecundo, Satyrâ octava:

Interea ſuſpenſa graves aulæa ruinas

In

In patinam fecere, trahentia pulveris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.

Quæſaneaulæa in veteribus ex marmore tricliniis expreſſa ſunt. Sternebantur autem lecti non ſolum in triclinio, ſed interdum voluptatis cauſa variis etiam locis, in quibus tum publica, tum privatá convivia celebrabantur. Nam Plinius libro XII. capite I. ſcribit, Licinium Mucianum Lyciæ legatum ſuper platano cenaſſe cum viginti octo convivis, largè ipſa toros præbente fronde. Itemque Cajum principem in Veliterno rure in platano itidem quindecim convivarum ac miniſterii capace triclinio, epulatum eſſe. Plinii verba, quia in promptu ſunt, non proferam ſingula, ſed tantum ea, quæ mendoſa ſunt, ut quomodo legi debeant, admoneam. *Dionyſius*, inquit, *prior Siciliæ tyrannus Rhegium*

Rhegium in Urbem tranſtulit eas, domus ſuæ miraculum, ubi poſtea factum gymnaſium, nec potuiſſe in amplitudinem adoleſcere, & alias fuiſſe in Italiâ, & nominatim Hiſpaniâ, apud auctores invenitur. Putamus autem verba (*in urbem*) gloſſema eſſe: & vocem *alias*, in *raras*. mutandam eſſe: nam ἀραιὰς habet Theophraſtus, à quo hunc locum Plinius accepit. pro *Hiſpaniâ* verò, ut eſt in libris vulgatis, legendum, *in Adriâ*, nam illud Hiſpania, ex eâ voce, quam diximus eſſe ἀραιὰς apud Theophraſtum, factum eſt ſive à Plinio, qui malè vertit: ſive ab alio, qui Plinii locum contaminavit. Ad has autem ſub umbrâ platani compotationes pertinent illa Virgilii libro IV. Georgicorum.

Iamque miniſtrantem platanum potantibus umbram.

Horatius libro II. ode XI.

Cur non ſub altâ vel platano, vel hac

Pinu

Pinu jacentes ſic temerè, & roſâ
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriâque nardo,
Potamus uncti?

Ovidius libro III. Faſtorum.

Plebs venit, ac virides paſſim disjecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quiſque ſuâ.
Sub Iove pars durat, pauci tentoria ponunt:
Sunt quibus è ramis frondea facta caſa eſt.

Cicero Philipp. libro II. de Marco Antonio inquit:

Dat natalitia in hortis.

Virgilius libro VII. Æneidis.

Corpora ſub ramis deponunt arboris altæ,
Inſtituuntque dapes, & adorea liba per herbas
Subjiciunt epulis, &c.

Sed in ædium ſuperiore parte ad anni tempus appoſitâ (unde & *æſtiva tricliniaria ad frigus orientis ſpectantia*

tia dixit Varro) ex communi conſuetudine lecti ſternebantur, à quibus ut diximus, cenaculum ipſum Græco vocabulo Triclinium eſt appellatum. Biclinium autem à duobus tantum ſtratis lectis videtur Plautus formaſſe, cùm dixit in Bacchidibus:

Biclinium ſtratur &c. &:

—— *Jam facite,*

In biclinio cum amicâ ſuâ uterque
accubitum eatis.

Quamvis videri poſſit, biclinium apud Plautum non pro cenaculo, in quo duo eſſent lecti ſtrati, ſed pro lecto poſitum eſſe, in quo bini diſcumberent: quod magis placet: nam in veteribus marmoribus Romæ multi hujuſmodi lecti reperiuntur, in quibus duo tantum diſcumbunt, menſâ appoſitâ tripede. Reperitur item & unus etiam lectulus, quem Scimpodium Scriptores vocant, & Grammatici interpretantur εὐτελὲς κλινίδιον μονοκοίτιον, quòd ſcilicet vi-

lis

lis eſſet lectulus, & unus tantum in eo accumberet. Vitruvius libro VI. capite X. ponit œcos quadratos, tam amplâ magnitudine, *ut faciliter in eis*, ut inquit, *quattuor ſtratis tricliniis miniſtratorum ludionumque operis* (ita enim legendum, non ut in vulgatis, *miniſtrationum ludorumque*) *locus poſſit eſſe ſpatioſus*. Athenæus etiam l. II. ſcribit apud antiquos fuiſſe œcos ſive conclavia triclinia, tetraclinia, heptaclinia, & reliquis deinceps numeris lectorum diſtincta. ſic enim inquit: ὅτι καὶ τρίκλινοι οἶκοι, καὶ τετράκλινοι, καὶ ἑπτάκλινοι καὶ κατὰ τοὺς ἑξῆς ἀριθμοὺς ἦσαν παρὰ τοῖς παλαιοῖς. Inde Phrynicum appellaſſe œcum ἑπτάκλινον, qui ſeptem lectos caperet: & ἐννεάκλινον, qui novem. ſic enim ceciniſſe: ἑπτάκλινος οἶκος ἦν καλὸς, εἶτ' ἐννεάκλινος ἕτερος οἶκος. & Julius Pollux libro I. capite VIII. docet œcum, triclinon, tetraclinon, pentaclinon, & decaclinon dici ex lectorum, qui ſterni poterant numero

numero ad magnitudinis rationem *λέγεται δὲ*, inquit, *οἶκος τρίκλινος, τετράκλινος, πεντάκλινος, καὶ δεκάκλινος· καὶ ἁπλῶς πρὸς τὸ μέτρον τοῦ μεγέθους ὁ τῶν κλινῶν ἀριθμός.* Ut conjici poſſit locum à magnitudinis ratione, etiam ſi nullos haberet ſtratos lectos, œcum triclinon, tetraclinon, pentaclinon, decaclinon, appellatum eſſe, ſicut lectos triclinos, tetraclinos, hexaclinos, à numero ſcilicet convivarum, quos capere poſſent. Itaque Antiphanes Comicus apud Athenæum videtur lectum triclinon dixiſſe, in quo tres diſcumberent, *Συναγαγὼν*, inquit, *τρεῖς ὄντας εἰς τρίκλινον ἡμᾶς.* Quamvis Athenæus dicat *τρίκλινον* deſignari ab Antiphane hoc verſu œcum, in quo tres lecti ſtrati eſſent: Cùm tamen triclinium ponatur interdum non tantum pro loco, ſed pro lecto etiam ipſo diſcubitorio, ut intelligi poteſt ex verſu Amphidis apud Athenæum:

Οὐχ' ὑποστρώσεις ποτὲ τρίκλινον;

& ex

& ex Vitruvii loco ſupra memorato, itemque Varronis libro III. capite XIII. de re ruſticâ, in quo ait: *Erat locus excelſus, ubi triclinio poſito cenabamus.* Idem libro I. capite LVIII. triclinium pro lecto item uſurpavit, cùm inquit: *In quo quidam etiam triclinium ſternere ſolent cenandi cauſâ.* & Plinius triclinia ærata, pro lectis dixit. ſic etiam Cicero, referente Servio, ſterni triclinia, & in foro ſterni jubebat. Atque hujus vocis duplex notio induxit, ut videtur, Servium in eum errorem, ut ut negarit triclinium ſignificare baſilicam ipſam, vel cenationem, in quâ tres lecti ſternerentur. Lectos tetraclinos videtur innuere Horatius illo verſu ex libro Sermonum I. Satyrâ IV.

Sæpe tribus lectis videas cenare quaternos.

duodeni enim diſcumbebant in ternis lectis. Pentaclinos vero lectos ſignificavit Cicero, cùm dixit in Piſonem:

ſonem: *Græci ſtipati, quini in lectulis, ſæpe plures, ipſe ſolus.* Hexaclinon item innuit Martialis lectum, qui ſex caperet, libro IX.

Et teſtudineum menſus quater hexaclinon:

Et Eubulus lectum heptaclinon dixit, qui ſeptem diſcumbentes caperet, his verſibus apud Athenæum, quibus conviva poſtulat ſterni ſibi lectum heptaclinon, & addi Sicula cervicalia quinque: Θὲς ἑπτάκλινον. ἑπτάκλινος ὑποσί. καὶ πέντε κλίνας σικελικὰς. λέγ᾽ ἄλλο τί; σικηλικὰ προσκεφάλαια πέντε. ſic enim leguntur hi verſus in V. C. bibliothecæ Farneſianæ, cùm in vulgatis mutili ſint, & ſine poëtæ nomine. Plutarchus etiam ſcribit, Cæſarem cùm vellet populum epulis & ſpectaculis capere, excepiſſe eum tricliniorum in ſummâ viginti duobus millibus, & poſt edita ſpectacula cenſu acto, pro trecentis viginti millibus civium quot ſuperiore

riorę cenſu fuerant, cenſa eſſe capita in totum centum quinquaginta millia. Græcè ſic: ὁ δὲ καῖσαρ τὸν δῆμον ἀνελάμβανεν ἑστιάσεσι καὶ θέαις, ἑστιάσας μὲν ἐν δισμυρίοις καὶ δισχιλίοις τρικλινίοις ὁμοῦ πάντας. & poſt: μετὰ δὲ τὰς θέας γενομένων τιμήσεων, ἀντὶ τῶν προτέρων δυεῖν καὶ τριάκοντα μυριάδων, ἐξετάσθησαν αἱ πᾶσαι πεντεκαίδεκα. Ut videri poſſit in triclinio, ſive in lecto, collocatos tunc à Cæſare convivas ſeptem. Et Craſſum idem Plutarchus ſcribit, cùm Herculi polluceret, populo epulum dediſſe decem millibus menſarum. ſic enim ait: Ἡρακλεῖ μεγάλην θυσίαν ποιησάμενος, εἱστίασε τὸν δῆμον ἀπὸ μυρίων τραπεζῶν. Ut conjici poſſit infinitum fuiſſe numerum lectorum & convivarum. Scribit etiam Trebellius Pollio in Salonino, moris fuiſſe ut milites cum imperatore diſcumberent: quod fieri non potuit niſi ſtratis multis pro nume-

numero militum tricliniaribus lectis. ſic enim ait: *Nam cùm cingula ſua plerique militantium, qui ad convivium venerant, ponerent, horâ convivii Saloninus puer, ſive Gallienus, his aureos conſtellatoſque baltheos* (ſic enim legendum, non *conſtillatos*) *rapuiſſe perhibetur: & cùm eſſet difficile in aulâ Palatinâ requirere, quod periſſet, ac tacitis militibus viri detrimenta pertuliſſent, poſtea rogati ad convivium cincti accubuerunt. cùmque ab his quæreretur, cur non ſolverent cingulum, reſpondiſſe dicuntur: Salonino illud deferimus. Atque hinc tractum morem, ut deinceps cincti cum Imperatore diſcumberent.* Ut videri poſſit apud veteres aliquando plura, interdum pauciora ſtrata fuiſſe triclinia, pro numero ſcilicet convivarum, qui & ipſe itidem varius fuit. nam idem Capitolinus ſcribit in Vero, celebratum ab eo aliquando convivium tale, in quo XII. diſcubuerint, juxta δωδεκάθεον Auguſti celebrem cenam,

nam, cum ſit notiſſimum dictum de numero convivarum: *ſeptem convivium, novem convitium.* Contra verò Lampridius de Alexandro Severo ait, offenſum eum aliquando multitudine convivarum, dicere ſolitum, ſe tanquam in theatro, & circo tunc manducare. *Publica*, inquit, *convivia* (ſic enim legendum) *eâ ſimplicitate egit, quâ privata, niſi cùm numerus accubantium creſcebat.* Cùm tamen L. Verus referente Capitolino, diebus feſtis & Saturnalibus vernas etiam in triclinium admiſerit, non offenſus ſcilicet multitudine lectorum, & convivarum in iis cum eo diſcumbentium. Sed tres tantum lectos conſuevisſe antiquos ſternere, niſi cùm cena publica daretur, aut convivium exhiberetur ab Imperatoribus, (tunc enim tribus illis lectis adjiciebantur alii pro numero convivarum) vel ex ipſo triclinii nomine jam oſtendimus, ad quod reſpexit Juvenalis Sat. III. cùm inquit:

Tertia

Tertia ne vacuo ceſſaret culci
lecto.

Unde Plutarchus tradit Cleomene
cenâ quotidianâ in triclinio uſum e
ſe per quam reſtrictâ & Laconic
Quòd ſi legatos vel hoſpites exc
peret, lectos præterea duos adjici
ciebant miniſtri, & menſam inſtru
bant paulò ſplendidiorem, non co
dimentis vel bellariis, ſed fercu
ut pleniora eſſent, & gratius vinun
Sublatâ autem menſâ, alteram ir
ferri ſolitam menſam tripedem, i
quâ crater æneus poneretur vini pl
nus, & phialæ argenteæ binas h
minas capientes, poculaque arge
tea admodum pauca, ex quibus c
liberet, bibebat: invitum invita
ad bibendum neminem. Græcè ſi
τὸ δὲ δεῖπνον αὐτοῦ τὸ μὲν καθημερινὸν
ἐν τρικλινίῳ σφόδρα συνεσταλμένον· καὶ λ
κωνικόν. εἰ δὲ πρέσβεις ἢ ξένους δέχοιτ
δύο μὲν ἄλλαι προσπαρεβάλλοντο κλίν
μικρῷ δὲ μᾶλλον οἱ ὑπηρέται τὴν τρά
ζαν ἐπελάμπρυνον, οὐ καρυκείαις,

πέ

πέμμασιν, ἀλλ' ὡς ἀφθονωτέρας εἶναι τὰς παραθέσεις, καὶ φιλανθρωπότερον τὸν οἶνον. ἐπαρθείσης δὲ τῆς τραπέζης, εἰσεκομίζετο τρίπους, κρατῆρα χαλκοῦν ἔχων, οἴνου μεστὸν, καὶ φιάλας ἀργυρᾶς δικοτύλους δύο, ἐξ ὧν ἔπινεν βουλόμενος. ἄκοντι δὲ οὐδεὶς ποτήριον προσέφερεν. Athenæus libro IV. de Cleomene eadem ponit his verbis : Πολλῶν δὲ πρεσβειῶν παραγινομένων πρὸς αὐτὸν, οὐδέποτε ἐνωρίστερον τῶν κατειθισμένων συνῆγε καιρῶν, πεντάκλινον τε διέστρωτο, οὐδέ ποτε πλεῖον. ὁπότε δὲ μὴ παρείη πρεσβεία, τρίκλινον, καὶ πρόσταγμα οὐκ ἐγίνετο διὰ τοῦ ἐλεάτρου, τίς εἴσεισι καὶ κατακλιθήσεται πρῶτος, ἀλλ' ὁ πρεσβύτερος ἡγεῖτο ἐπὶ τὰς κλίνας, εἰ μὴ τινα αὐτὸς προσκαλέσαιτο. Hoc autem addit tantum Athenæus ad ea quæ Plutarchus de Cleomene retulit, neminem apud eum à vocatore monitum, quis primus vel ſederet, vel accumberet, ſed ad lectos ducere convivas ſolitum, qui eſſet ætate provectior, niſi aliquem ipſe ultrò vocaſſet. Triclinia verſatilia dixiſſe videtur

Lampridius in Elagabalo cenationes illas rotundas, quæ vice mundi, ut ait Suetonius in Nerone, circumagerentur, quales erant in domo aurea Neronis, de quibus ita ſcribit Seneca libro epiſtolarum xv. *Utrum tandem ſapientiorem putas, qui verſatilia cenationum laquearia ita coagmentat, ut ſubinde alia facies, atque alia ſuccedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur?* Ex quo loco videtur corrigendus Lampridius, qui & ipſe de verſatili hac cenatione loquens in Elagabalo, ſic inquit: *Paraſitis in ſecundâ menſâ ſæpe ceream cenationem*, (ſic enim exiſtimamus, legendum, non ut in vulgatis codicibus, *cenam*) *ſæpe ligneam, ſæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam etiam vel marmoream, vel lapideam, ita ut omnia illis exhiberentur videnda de diverſâ materiâ, quæ ipſe cenabat.* Verba Lampridii de tricliniis verſatilibus ſunt hæc: *Oppreſſit in tricliniis verſatilibus paraſitos*

tos ſuos violis & floribus ſic ut animam aliqui efflaverint, cùm eripi ad ſummum non poſſent. Suetonii de cenatione verſatili hæc: *Cenationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, ut flores ex fiſtulis, & unguenta deſuper ſpargerentur.* Tricliniis nomina Deorum quidam imponebant, ut Lucullus, qui cenationi nomen Apollinis indidit. unde celebratur illud: *cenabitur in Apolline.* Suetonius in Claudio capite x. *Quùm quaſi ſecretum eo deſiderante, turbam ſummoverent, in diætam, cui nomen eſt Hermæum, receſſerat. Alexander Severus Imperator* (ſcribit Lampridius) *in matrem Mamæam unicè pius fuit, ita ut Romæ in Palatio faceret diætas nomine Mameæ, quas imperitum vulgus hodie ad Mammam vocant.* Uſurpatur autem diæta pro ipſâ cenatione & triclinio, tum ab aliis, tum à Sidonio, qui ait: *Ex triclinio in diætam, ſive cenatiunculam fit tranſitus.* Itemque Zeta, à Plinio Juniore; quam tamen non à ſimilitu-

dine litteræ, ut ſigma, ſed ἀπὸ τοῦ ζῆν, quemadmodum & diætam ἀπὸ τοῦ δαιτὸς dictam putamus. Porrò lecti qui in triclinio ſternebantur: & ob id tricliniares dicti, ex uno tantum latere menſæ ſternebantur. fuiſſe autem eorum longitudinem pedum ſex, & paulò plus: latitudinem verò trium pedum, ſcribit Ariſtoteles in Mechanicis ſectione xxv. Menſarum verò quæ apponebantur longitudinem, parem fuiſſe lectis ipſis; altitudinem autem trium cubitorum, intelligimus ex verſibus Euangeli poëtæ apud Athenæum libro xiv. in quibus queritur Paraſitus neceſſe ſibi eſſe, ut attollat ſe, ſiquid capere de menſâ velit, cùm ejus altitudo cubitorum ſit trium. Euangeli verſus ſunt hi:

Ὕψος τῆς τραπέζης πηχέων ἐστὶ
τριῶν,
Ὥστε τὸν δειπνοῦντ᾽ ἐπαίρειν εἴ τι βού-
λεται λαβεῖν.

Vt videri poſſit lectos paulò eminentiores

tiores menſis fuiſſe, juxtà Plautinum illud in Sticho:

Standum eſt in lecto, ſiquid de ſummo petas.

quod Græcis Euangeli ſenariis planè reſpondet. Erant autem in lectis his tricliniaribus, anaclinteria ſive accubita quædam, in quibus reclinati convivæ diſcumbebant, quæ Virgilius ſpondas lecti dixiſſe videtur, cùm cecinit:

Aurea compoſuit ſponda, mediamque locavit.

Lampridius verò in Elagabalo, accubita vocavit, cùm inquit: *Nec cubuit in accubitis facilè, niſi iis, quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum, ſubalares ſæpe culcitas mutans.* & poſt: *Multis vilioribus amicis folles pro accubitis ſternebat, eoſque reflabat prandentibus illis, ita ut plerumque ſubitò ſub menſis reperirentur prandentes.* Spartianus autem in Ælio vocat anaclinteria, his verbis: *Nam lectum eminentibus quattuor anaclinteriis*

teriis fecerat, minuto reticulo undique incluſum, eumque foliis roſæ, quibus demptum eſſet album replebat, jacenſque cum concubinis, velamine de liliis facto, ſe tegebat, unctus odoribus Perſicis. Jam illa frequentantur à nonnullis: quòd & accubationes, ac menſas de roſis, ac liliis fecerit, & quidem purgatis. Apparet autem anaclinteria, ſive accubita, poſita hic pro pulvinis fuiſſe, quibus innixi convivæ disjungerentur alter ab altero, diſpoſiti quattuor illis locis, quos dicemus in lecto aſſignari ſolitos fuiſſe pro diſcumbentium gradu & dignitate. Seneca libro I. de Irâ: *Minus honorato loco poſitus iraſci cœpiſti convivatori, vocatori, ipſi, qui tibi præferebatur. Demens, quid intereſt, quam lecti premas partem? honeſtiorem te aut turpiorem poteſt facere pulvinum?* Inter lectos vero & œci, ſive triclinii parietes relinquebatur tantum ſpacii, quantum ſatis eſſet operis ad miniſtrandum, quæ dicebantur

bantur ad pedes ſtare. Martialis in Zoilum libro III.

At ipſe retrò flexus ad pedum turbam.

& in Santram libro VII.

Nec eſculenta ſufficit gulæ præda,
Miſto lagenam replet ad pedes vino.

Sidonius libro I. epiſtolâ ad Montium: *Retrorſumquè converſus, tamquam manibus aquam poſtularem, tantumque remoratus, quantum ſtipadii circulum celerantia miniſteria percurrunt, cubitum toro reddidi.* Sic ènim legendus eſt hic locus ex libro manuſcripto. Suetonius in Caligulâ capite XXXVI. *Quas plerumque cum maritis ad cenam vocatas, præterque pedes ſuos tranſeuntes diligenter ac lentè mercantium more conſiderabat.* Ex quibus locis ſatis cònſtat de ſpatio, quod diximus inter lectos, & triclinii parietes fuiſſe. Quòd verò ad pedes diſcumbentium ſtarent miniſtri tricliniares, præter eos

locos, quos adduximus ſupra, poſſumus etiam aliis exemplis confirmare. Seneca libro III. de Beneficiis: *Servus, qui cenanti ad pedes ſteterat.* Suetonius in Caligulâ capite XXVI. *Quoſdam*, inquit, *ſummis honoribus functos, ad eſſedum ſibi occurrere* (ſive ut eſt in manuſcripto codice, *currere*) *togatos per aliquot paſſuum millia, & cenanti modò ad pluteum, modò ad pedes ſtare ſuccinctos linteo, paſſus eſt.* Agretius item docet circumpedes dici obſequia ſervorum. unde Cicero libro VIII. epiſtolâ ad Atticum, dixit: *Pollucem ſervum à pedibus meum Romam miſi.* Videndum autem an apud Suetonium loco ſupra memorato de Caligulâ, pluteus poſitus ſit pro abaco, ſive repoſitorio: nam ſi plutei ſunt fulcra tori, ſive ſepta, non duo dixit, ſed idem: ipſum ſtetiſſe & ad pedes, & ad pluteum. Ad pedes autem Domini diſcumbentis ſtetiſſe mulierem peccatricem, ut apparet, miniſtrantem,
ſcribit

ſcribit S. Lucas capite VII. his verbis: *Mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd Ieſus accubuit in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti: & ſtans retrò ſecus pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Vnguento enim pedes diſcumbentium veteres unxiſſe, infrà oſtendemus prolatis Scriptorum teſtimoniis. Lecti autem, quos diximus tricliniares appellatos, priſcis illis temporibus è ſtramento, & ut ait Varro, ex herbâ tortâ fiebant, unde & tori appellati, qui à Græcis στιβάδες & στιβάδια, ſive ut mavult Iſidorus, ſtipadia dicti ſunt. Plato libro II. de Republicâ. Ἐπὶ κάλαμόν τινα παραβαλλόμενοι ἢ φύλλα καθαρὰ, κατακλινέντες ἐπὶ στιβάδων ἐστρωμένων μίλακί τε καὶ μυῤῥίναις εὐωχήσονται αὐτοί τε καὶ τὰ παιδία ἐπιπίνοντες τοῦ οἴνου ἐστεφανωμένοι. Plinius libro VIII. cap. XLVIII. *Antiquis enim torus è ſtramento erat.* Inde Virgilius libro V. dixit:

—— *viridante toro conſederat herbæ.*

& Apuleius libro v. *Pſyche teneris & herboſis locis, in ipſo toro graminis ſuavè recubans.* Hujuſmodi toros innuit Tibullus libro II. elegiâ v.

At ſibi quiſque dapes, & feſtas extruet altè
Ceſpitibus menſas, ceſpitibuſque torum.

& Homerus multò ante libro II. Odyſſ. his verſibus:

Εἷσεν δ' εἰσαγαγὼν, ῥῶπας δ' ὑπέχευε βαθείας
Ἐστόρεσεν δ' ἐπὶ δέρμα ἰονθάδος ἀγρίου αἰγός.

Unde Ovidius:

Qui poterat pelles addere, dives erat.

Poſtea lapidei (nam è candido marmore ſtibadium vite protectum deſcribitur à Plinio in epiſtolis) & lignei fieri cœperunt, cujuſmodi innuit Horatius illo verſu:

Si potes archaicis conviva recumbere lectis.

& ut

& ut apertius dicit Dionyſius Halicarnaſſeus, κλίνας ξυλίνας ἀρχαϊκάς. quamvis alii legant τραπέζας, pro κλίνας, quod menſæ etiam ex ligno tunc fieri ſolerent: unde & Seneca Tuberonis ligneos lectos refert, quales habentur apud Terentium Adelphis, hoc verſu:

Lectulos in ſole iligneis pedibus faciundos dedit.

Talis fuit menſa tripes Horatii. Sed ex ligneis potiſſimum citrei in maximo pretio fuerunt. Perſius Satyrâ I.

——— *non quicquid denique lectis*
Scribitur in citreis &c.

& Martialis libro XII.

Gemmantes prima fulgent teſtudine lecti,
Et Mauruſiaci pondera rara citri.

Poſtremò non ſolùm ebore operiri cœperunt, dicente Statio Silvarum libro III. ſilvâ I. *Torus aſper ſignis*

eburnis : & Philone κλίνας ἐλεφαντοκολλήτους. ſed etiam teſtâ teſtudinis ſectâ in lamas eodem Philone ſcribente : τρίκλινα χελώνης ἢ ἐλέφαντος κατεσκευασμένα, καὶ τιμαλφεστέρας ὕλης, ὧν τὰ πλεῖστα λιθοκόλλητα, & Clemente Alexandrino, Pædag. libro II. capite III. κλίνας χρυσοσταλοὺς, καὶ χελώναις πεποικιλμένας κοίτας : unde & teſtudinea triclinia veniſſe in uſum, cùm antea fuiſſent lignea, refert Plinius libro XXXIII. capite XI. ex auctoritate Feneſtellæ, & libro IX. capite XIII. dicit teſtudinum putamina ſecare in laminas, lectoſque, & repoſitaria his veſtire Carbilium docuiſſe. Varro libro VIII. de linguâ latinâ. *Cur malimus habere lectos alios ex ebore, alios ex teſtudine?* Operiebantur & ære : unde ærata triclinia ab eodem Plinio dicuntur invecta in triumpho Cn. Manlii Aſiâ devictâ, libro XXXIV. capite III. Itemque argento: unde κλίνας ἀργυρόποδας dixit Philo ſuprà citato loco.

co. & Suetonius Caligulam ſcribit, Romæ publico epulo ſervum ob detractam lectis argenteam lamam carnifici tradi juſſiſſe. Martialis libro VIII.

An magis aſtuti deraſa eſt ungue miniſtri
Bractea, de fulcro quod reor eſſe tuo.

Plinius libro XXXIII. capite XI. *Lectos verò*, inquit, *mulierum jampridem totos operiri argento, & triclinia quædam, quibus argentum addidiſſe primus traditur Carbilius Pollio eques Romanus, non ut operiret, aut Deliacâ ſpecie faceret, ſed Punicanâ. Idem & aureos fecit. nec multò poſt argentei Deliacos imitati ſunt.* & poſt: *Cornelius Nepos tradit ante Sullæ victoriam, duo tantum triclinia Romæ fuiſſe argentea.* Incurvabantur & auro, ut ex Martialis libro IX. apparet, in quo eſt:

Et crepet in noſtris aurea lama toris.

Pli-

Plinius libro XXXIII. capite XI, *Idem Carbilius & aureos lectos fecit* : quos χρυσοσίκτυς dixit Clemens Alexandrinus. Lecti vero tricliniares cùm antea pellibus (ut Ovidius dixit) tegerentur, poſtea ſtragulis & quidem pretioſis inſterni cœperunt, quæ toralia dicta ſunt. Varro libro I. de vitâ populi Romani apud Feſtum: *Quod frontem lecticæ ſternebant, ex eâ herbâ tortâ, torum appellatum : hoc quod injicitur, & nunc toral dicitur.* Idem de linguâ latinâ libro IV. *Quicquid inſternebant, à ſternendo ſtragulum appellabant.* Cicero Tuſculanâ quintâ: *Cùm ſe ille cupere dixiſſet, collocari juſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo textili ſtragulo magnificis operibus picto. Hinc ſtragulæ veſtes* apud eundem Ciceronem: *& picta ſtragula* apud Tibullum libro I. Elegiâ II. Hæc Capitolinus in Vero vocat ſtromata Græco vocabulo, cùm inquit: *In toro convivali condormiens, ita, ut leva-*

levatus cum ſtromatibus in cubiculum perferretur. Græcos etiam ſtraviſſe lectos purpurâ & ſtragulis pretioſis, indicat Athenæus libro 11. in quo adducit Platonem Comicum inducentem quoſdam, qui in lecto eburnæis pedibus effulto ſtragulis tinctis purpurâ & oſtro Sardiano, ornati cubarent. ſic enim Græcè: *κἆτ' ἐν κλίναις ἐλεφαντόποσι, καὶ στρώμασι πορφυροβάπτοις, κἂν φοινικίσι σαρδιανικαῖσι κοσμησάμενοι κατάκεινται.* Lampridius ſcribit Elagabalum Imperatorem cùm privatus eſſet, primum omnium toros aureis toralibus texiſſe: eundemque poſtea Imperatorem factum, ex ſolido argento habuiſſe tum tricliniares, tum cubiculares lectos. Præterea æſtiva convivia coloribus exhibuiſſe, ut hodie praſinum, vitreum, aliâ die venetum deinceps exhiberet, ſemper variè per dies omnes æſtivos. Cùm autem notum ſit ab his coloribus nominatas eſſe quattuor illas

illas agitatorum factiones in Circenſibus ludicris, quod eſſent ſcilicet quattuor his coloribus diſtinctæ, albo, ruſſeo, praſino, & veneto: & Capitolinus in Vero ita ſcribat: *Denique etiam præſens, & cum Marco ſedens, multas à Venetianis eſt paſſus injurias, quòd Praſinis contra eos faveret, nam & volucri equo Praſino aureum ſimulacrum fecerat, quod ſecum portabat. In tanto autem equus ille honore fuit, ut ei à populo Praſinianorum ſæpe modius aureorum poſtularetur* (ita enim legendus hic locus, non ut in vulgatis editionibus mendoſiſſimè legitur: *quod turpiſſimè contra eos faveret:* & *ut ei à populo Parſinianorum*) videndum an legendum ſit apud Lampridium, *ut hodie praſinum & ruſſeum, aliâ die album, & venetum deinceps, &c.* nam vitreum colorem eundem eſſe cum veneto conſtat inter eos, qui de coloribus ſcripſerunt. Sternebantur item lecti culcitis, ut ex Varrone, & Juvenalis verſu

verſu intelligimus, quem ſupra protulimus. Paulus in lege III. Digeſtorum de ſupellectili legatâ: *Supellectili*, inquit, *legata hæc continentur: menſæ, trapezophora, delphicæ, ſubſellia, ſcamna, lecti etiam inargentati, culcitæ.* Cicero Tuſculanâ quintâ: *Collocemus in culcitâ plumeâ, pſaltriam adducamus.* Contra, in robore dicebantur accumbere, qui non in lectulis ſtragulâ veſte inſtratis, ſed in durâ quâdam materiâ aut ligno diſcumberent, ut de Spartiatis refert Cicero in oratione pro L. Murænâ his verbis: *Qui cotidianis epulis in robore accumbunt.* Duritiam autem victus Spartiatarum, qui ſuper ligno ſoliti eſſent diſcumbere, oſtendit Athenæus libro XII. cùm inquit, καὶ κληθεὶς εἰς φιδίτιον, ἐπὶ τοῦ ξύλου, κατακείμενος, καὶ δειπνῶν μετ' αὐτῶν. Stratis igitur, ita ut diximus, lectis, non ut ſcribit Cicero, hœdinis pellibus priſco more, ſed juxtà Virgilianum illud:

—*ſtra-*

—— *ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.*

Addebantur pulvini, quibus cenantes innitereatur. Martialis libro III.

Cubitis trudit hinc & hinc convivas,
Effultus oſtro, ſericiſque pulvinis.

Hujuſmodi pulvinos Lampridius in Elagabalo *ſubalares culcitas vocat.* Fiebant autem è plumâ, ut inquit Apuleius, delicatâ. cujus verba ſunt hæc ex libro x. de Aſino: *Quattuor eunuchi confeſtim pulvinis pluribus ventosè tumentibus, plumâ delicatâ, terreſtre nobis cubitum perſtruunt. ſed & ſtragulâ veſte, auro ac murice Tyrio depictâ probè conſternunt: ac deſuper brevibus admodum, ſed ſatis copioſis pulvillis aliis nimis modicis, quis maxillas & cervices delicatæ mulieris ſuffulcire conſueverunt, perſtruunt.* Athenæus libro IV. ponit, lectos quoſdam permagnos, tantâ impenſâ & tam egregiâ varietate ela-

elaboratos, ut vocatis ad cenam hoſpitibus, quidam cubito inniti pulvinis cunctarentur, & qui antea in toto convivii ſpatio in nudo cubili perduraverant, tum in lectis accumbentes, ne ſemel quidem pulvinaribus cubitum fulcirent. ſic enim Græcè: *Καὶ πάλιν αὐτοῖς στρωμναί τε τοῖς μεγέθεσιν οὕτως ἐξησκημέναι πολυτελῶς, καὶ τῇ πολυτελείᾳ διαφόρως, ὥστε τῶν ξένων ἐνίους τῶν παραληφθέντων ὀκνεῖν τὸν ἀγκῶνα ἐπὶ τὰ προσκεφάλαια ἐρείδειν. οἱ δὲ πρότερον ἐπὶ τοῦ κλιντηρίου ψιλοῦ διακαρτεροῦντες τῆς κλίνης παρ' ὅλην τὴν συνουσίαν τὸν ἀγκῶνα ἅπαξ ἐρίσειαν.* Eubulus apud eundem Athenæum libro II. inducit convivam poſtulantem ſibi ſterni lectos quinque Siculos, & addi Sicula pulvinaria quinque, cùm inquit: *καὶ πέντε κλίνας Σικελικὰς, καὶ Σικελικὰ προσκεφάλαια πέντε.* Aliquando aggeratis, ut inquit Apuleius, in cumulum ſtragulis utebantur pro pulvinis. Sic enim ait libro II. de

de Aſino: *Ac ſic aggeratis in cumulum ſtragulis, effultuſq; in cubitum, ſuberectuſque in torum.* (ſic enim legendum ex V.C. non ut in vulgatis, *effultiſque & ſuberectis.* Pro pulvinis Elagabalus folles ſive utres aliquando ſtraviſſe: qui à pedibus per pueros ad reflandum ſpiritum ſolverentur, ſcribit Lampridius his verbis: *Multis vilioribus amicis folles pro accubitis ſternebat, eoſque reflabat prandentibus illis, ita ut plerunque ſubito ſub menſis invenirentur prandentes.* Ex quibus verbis confirmantur etiam illa, quæ ſupra diximus, in lectis fuiſſe anaclinteria quædam ſive accubita, hoc eſt, pulvinos, quibus locati convivæ, pro cujuſque gradu & dignitate, dum cenarent, inniterentur. Lectos autem aſcenſuri, ſumptâ cenatoriâ veſte, ſoleas deponebant, ne ſtragulas veſtes pedibus fœdarent. Ac de cenatoriâ quidem veſte, quam exeuntes è balneo, depoſitâque veſte balneari, cenaturi ſumebant, crebra

bra mentio eſt apud veteres Scriptores : nam Capitolinus ſcribit Maximinum Juniorem, cùm eſſet puerulus, ad cenam ab Alexandro invitatum in patris honorem, quod ei deeſſet veſtis cenatoria, ipſius Alexandri accepiſſe. Et Cornelium Frontonem oratorem in Hadriano ſcribit Dio Caſſius, cùm veſperi à cenâ ſerò domum rediiſſet, intellexiſſetque ex eo cui patrocinium pollicitus erat, Principem jus reddere, veſte cenatoriâ indutum, ut erat, in jus veniſſe, eumque ſalutaſſe, non verbo Salve, quæ matutina eſt ſalutatio, ſed Vale, quæ veſpertina eſt, uſum. Græca verba ſunt hæc : Αμέλει δὲ καὶ Κορνήλιος Φρόντων ὁ τὰ πρῶτα τῶν τότε Ῥωμαίων ἐν δίκαις φερόμενος ἑσπέρας ποτὲ βαθείας ἐπανιὼν, καὶ μαθὼν παρά τινος ᾧ συνεγορήσειν ἐπέσχετο, δικάζειν αὐτὸν, ἔν τε τῇ στολῇ τῇ δειπνήτιδι, ὥσπερ εἶχεν, ἐς τὸ δικαστήριον αὐτοῦ εἰσῆλθε, καὶ ἠσπάσατο οὔτι γε τῷ ἑωθινῷ προσρήματι τῷ χαῖρε, ἀλλὰ τῷ ἑσπερινῷ τῷ ὑγίαινε χρησάμενος.

Has

Has autem cenatorias veſtes Athenæus vocat δειπνητικὰ ἐνδύματα, de quibus Martialis libro x.

Pugnorum reus, ebriæque noctis
Cenatoria mittit advocato.

Petronius Arbiter: *Cenatoria repetimus, & in proximam cellam ducti ſumus, in quâ tres lecti ſtrati erant.* Tricliniaria hæc fortaſſe vocavit Plinius libro VIII. capite XLVIII. cùm inquit: *Metellus Scipioni tricliniaria Babylonica ſeſtertium octingentis millibus veniſſe jam tunc, poſuit in Capitonis criminibus, quæ Neroni principi quadrigies* HS. *nuper conſtitere.* Sed utebantur etiam & pallio in cenis, ut indicant tum alii, tum Plautus Bacchidibus:

——pro loricâ malacum capiam pallium,
Ubi mihi pro equo lectus detur, ſcortum pro ſcuto accubet.

& Martialis libro II.

Ad cenam venies, ſed ſic diviſa recumbes,

Ut

Ut non tangantur pallia noſtra tuis.

Ovidius in Amoribus:

——*nec in lecto pallia noſtra ſedent.*

Spartianus in Hadriano: *Ad convivium venientes Senatores ſtans excepit: ſemperque aut pallio tectus diſcubuit, aut togâ ſubmiſſâ.* & in Severo: *Habuit etiam illud omen imperii, cùm rogatus ad cenam imperatoriam, palliatus veniſſet, qui togatus venire debebat, togam præſidiariam ipſius Imperatoris accepit.* Suetonius in Cæſare: *Convivabatur adſiduè per provincias duobus tricliniis, uno, quo ſagati, palliatique: altero, quò togati cum illuſtrioribus provinciarum diſcumberent.* Utebantur & lænis. Perſius Satyrâ 1.

Hic aliquis, cui circa humeros hyacinthina læna eſt.

& Martialis de Luſco convivâ:

Et tectus lænis ſæpe duabus abit.

Feſtis

Feſtis autem diebus, & ſollemnibus epulis albatos cenaſſe, conjicere poſſumus ex verſibus Horatii libro II. Sermonum.

Ille repotia, natales, aliosve dierum
Feſtos albatus celebret, &c.

Xiphilinus etiam ſcribit, cùm diem feſtum agerent Romani, ob ingreſſum Teridatis, albatos omnes domibus ſuis albas hoſtias immolaſſe: μάλιστα δὲ, ἡ ἀγορὰ ἐπεπλήρωτο. τὸ γὰρ μέσον αὐτῆς ὁ δῆμος λευχειμονῶν καὶ δαφνηφορῶν κατὰ τέλη εἶχεν. Albatos etiam funebre convivium celebraſſe, colligere poſſumus vel ex iis, quæ ſcribit Cicero in Piſonem: *Quis unquam cenavit atratus?* Milites quoque cenaturos, cingula & baltheos depoſuiſſe oſtendimus ſuprà ex Trebellio Pollione in vitâ Solonini: quæ malè in vulgatis codicibus tribuitur Capitolino. De ſoleis autem ita habetur apud Plautum in Moſtellariâ:

Cedo ſoleas mihi, ut arma capiam.

& in Truculento:

Cedo ſoleas mihi, auferte menſam amabo.

& poſt:

Deme ſoleas, cedo vinum.

Terentius Heautontimorumeno:

Accurrunt ſervi, ſoccos detrahunt, video alios feſtinare, lectos
Sternere, cenam apparare.

Horatius libro II. Satyrâ ultimâ.

Et ſoleas poſcit, tum in lecto quoque videres
Stridere?

Martialis libro XII.

Bis Cotta ſoleas perdidiſſe ſe queſtus;
Dum negligentem ducit ad pedeis vernam,
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

& alibi:

Defuerit ſi fortè puer, ſoleaſque licebit
Sumere, pro puero proderit ipſe ſibi.

Plinius libro IX. epiſtolâ ad Genitorem: *Quamvis lautiſſimam cenam &c.*

L quàm


In Viridario Cardinalis
Montalti

quam multi, cùm lector, aut lyriſtes, aut comœdus inductus eſt, calceos poſcunt, aut non minore cum tædio recubant. In antiquo etiam marmore bibliothecæ Farneſianæ, in quo duo diſcubitorii lecti expreſſi ſunt, & menſa tripes una, Sileno ſeni adſunt nudi Fauni duo: alter, ut accubituro, ſoleas demat: alter, ut inclinabundum ſuſtineat, dum ſoleæ detrahuntur: quibus detractis, veſtem, ut diximus, cenatoriam ſumebant. Sed marmoris antiqui Farneſiani, cujus modò meminimus, ſive biclinium illud, ſive alio nomine appellandum ſit, exemplum hic ſubjicere operæ pretium erit: nam id quod eſt in ædibus Maffeiorum, à Farneſiano nullâ re aliâ differt, niſi quod duos illos lectos diſtinctius ponit. Utrumque verò duos Satyros habet, alterum qui à Græcis dicitur ναρθηκοφόρος, quòd ad prohibendam ebrietatem gerat ferulam: alrum, qui tibiis paribus, dextris &

ſiniſtris, modos facit: ut videri poſſit marmor ipſum ad Bacchi feſta pertinere.

In lectis autem his tricliniaribus veteres Romani priſcis illis temporibus ſedentes, non accubantes epulabantur, ut ſcribit Servius libro VII. Æneidis & Iſidorus notat libro XX. capite II. cùm inquit: *Apud veteres Romanos non erat uſus accumbendi, unde & conſidere dicebantur: Majores enim noſtri* (inquit Servius) *ſedentes epulabantur, quem morem habuerunt à Laconibus & Cretenſibus, ut Varro docet in libris de gente,* (vel ut habet Iſidorus) *de vitâ populi Romani, in quibus dicit quid à quâque gente traxerit per imitationem.* Itaque apud Homerum ſedent Heroes, non accumbunt, ut notat Athenæus libro I. in quo ſcribit hunc morem ſervaſſe etiam interdum Alexandrum Magnum: qui ut refert Duris, aliquando quadringentos duces in ſellis aureis & argenteis veſte purpureâ ſtratis

tis ſedentes ac reclinatos convivio excepit. Athenæi verba ſunt hæc: Καθέζονται ἐν τοῖς συνδείπνοις οἱ ἥρωες, οὐ κατακέκλινται. τοῦτο δὲ καὶ παρ' Ἀλεξάνδρῳ τῷ βασιλεῖ ἐνίοτε ἦν, ὡς φησὶ Δοῦρις. τετρακοσίους οὖν ποτὲ ἡγεμόνας ἑστιῶν, ἐκάθισεν ἐπὶ δίφρων ἀργυρῶν καὶ κλιντήρων ἁλουργοῖς περιστρώσας ἱματίοις. Poſtea inſtitutum eſt, ut Varro ait in libro de vitâ populi Romani, eodem Iſidoro referente, ut viri diſcumberent, feminæ ſederent, quòd turpis videretur in muliere accubitus. Atque id exemplo fortaſſe Græcorum, apud quos turpe habebatur in convivio virorum accumbere mulieres: licet poſtea mulieres quoque accumbere cœperint, & in triclinio Gallieni concubinas ejus accubuiſſe ſcribat Capitolinus, itemque apud Ciceronem accubuerit Cytheris. Apuleius libro I. antiquam conſuetudinem expreſſit, cùm inquit: *Intuli me, eumque accubantem exiguo admodum grabatulo, & commodum*

cenare incipientem invenio : aſſidebat penes uxor, & menſa vacua poſita erat. Quæ verba ex Luciano convertit, qui ait : γυνὴ ᾗ αὐτῷ καθῆϛο πλησίον. Atque hic quidem mos : ut inquit Valerius Maximus, à priſcis hominibus ad Deos etiam tranſlatus eſt. nam in Epulo Jovis, quod in Capitolio Septemviri Epulonum celebrabant tribus ſtratis lectis (Jovi, ſcilicet, Junoni, & Minervæ) Jovis quidem ſimulacrum in lectulo diſcumbens ſtatuebatur : Juno autem & Minerva in ſellas ad cenam invitabantur. Quod ſanè epulum in argenteo denario C. Cœlii Caldi Septemviri Epulonum expreſſum eſt, & apud Valerium Maximum habetur libro II. capite I. in quo refert, feminas in nuptiis cum viris cubantibus ſedentes cenitaſſe. Scribit item Vellejus libro II. Tiberium Imperatorem majorem partem æſtivarum expeditionum ſedentem cenaſſe, properantem ſcilicet ad rem geren-

gerendam. & Plutarchus in apophthegmatibus tradit, Scipionem Æmilianum edixiſſe. ut milites ſui ſtantes incoctum obſonium prandërent: diſcumbentes autem panem vel pultem, & carnem coctam, aut elixatam cenarent. Plutarchi verba ſunt hæc: προσέταξε δὲ ἀριστᾶν μὲν ἑστῶτας ἄπυρον ὄψον, δειπνεῖν δὲ κατακειμένους ἄρτον ἢ πολτὸν ἁπλῶς, ἢ κρέας ὀπτὸν, ἢ ἑφθόν. Ad quam ſanè conſuetudinem reſpexit Livius libro XXXIV. cùm inquit: *Pileati aut lanâ albâ velatis capitibus Volones epulati ſunt alii accumbentes, alii ſtantes, qui ſimul miniſtrabant, veſcebanturque.* Conſueviſſe autem veteres ſive prandërent, ſive cenarent, in lectis, eo quo infra dicetur modo, accumbere, non ſedere, multis exemplis probari poteſt. Plautus in Sticho:

Haud poſtulo equidem ſummo in lectulo accumbere. & in Perſâ:

Age age ergo tu Sagariſtrio, accumbe in ſummo.

& in Moſtellariâ:

Non omnes poſſunt olere unguenta exotica,
Sicut tu oles: neque ſuperior accumbere.

Cicero libro IX. Epiſtolarum.

Accubuerat ſuper me Atticus.

Virgilius Æneidis libro II.

—— Tu das epulis accumbere divum.

Collumella libro XI. capite I.

Villicus ſit frugalitatis exemplum, nec niſi feſtis diebus accubans cenet.

Iuvenalis Satyrâ I.

Vacuiſque toris tantum ipſe jacebat.

Suetonius in Auguſto capite LXXIV. *Ne toro quidem cubuiſſe ajunt, niſi humili & modicè inſtrato.* Athenæus autem queritur libro I. homines ſuæ ætatis tantum ab antiquâ frugalitate excidiſſe, ut accumberent in conviviis: ſic enim inquit: Νῦν δὲ ἐπὶ τοσοῦτον ἐκπεπτώκαμεν, ὥστε καὶ κεῖσθαι δαινυμένους. Apuleius librō 10. de Aſino:

no : *Et primum me quidem menſam accumbere ſuffixo cubito perdocuit.* Quibus verbis convertit locum illum Luciani: Καὶ πρῶτον μὲν κατακλίνεσθαι ἐπὶ κλίνης ἐπ' ἀγκῶνος ἐποίησεν. Horatius libro I. carmin. ode XXVII.

—— impium

Lenite clamorem ſodales,

Et cubito remanete preſſo.

Quamvis conſueverint convivantes, ubi epularum eos ſatietas cœperat, ciboque diſtenti erant, in cubitum tunc maximè ſe reponere : quod idem Horatius hoc verſu expreſſit :

Languidus in cubitum jam ſe conviva reponit.

De cenâ Sertorii & Naſidieni, & locis in eâ diſcumbentium, dicere ſuperſedeo, quando de his copioſè tractatum eſt in commentario de Triclinio & aliquibus locis in hoc ipſo etiam libro. Illud tantum hic addam, exiſtimare me, verſum illum Virgilianum.

Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto.

non eſſe ad altitudinem tori referendum, ſed altum torum dixiſſe Virgilium tori ſummum locum, in quo diſcumberet Æneas, quòd is locus eſſet dignior tertio, qui Achati aſſignatus erat: nam medius locus, in quo ſe Dido locaverat, ita dignior ceteris erat, ut poſt eum primus, deinde tertius numeraretur. Unde Plautus videtur in Sticho dixiſſe:

Haud poſtulo equidem medio in lectulo accumbere:
Scis tu me eſſe imi ſubſellii virum.

& Horatius:

——ſecutis omnibus imis.

Plautus rurſum in Perſâ:

Ergo oratores populi ſummates viri
Summi accumbent: ego infimatis infimus.

In imo autem ſolebant paraſiti accumbere, & quos ad cenam Naſidieni (ut ait Horatius) Mæcenas adduxerat

duxerat umbras. qui libro I. epiſtolarum ad Torquatum dixit:

—— Locus eſt & pluribus umbris.

Umbrarum autem erat in lecto quartus locus, in quo interdum accubuiſſe Hadrianum Imperatorem ſcribit Dio Caſſius in ejus vitâ his verbis: Ἀεί τε περὶ ἑαυτὸν καὶ ἐν τῇ ῥώμῃ, καὶ ἔξω, τοὺς ἀρίστους εἶχε. καὶ συνῆν σφίσι καὶ ἐν τοῖς συμποσίοις, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τέταρτος πολλάκις διωχεῖτο. (ſic enim legendum non ut vulgò habetur in exemplaribus, ὠχεῖτο.) Quos autem umbras dicit Horatius, Athenæus σκιὰς dixit. & Plutarchus docet umbras dictos eſſe, qui alium ſequerentur ad convivium, cùm ipſi invitati non eſſent. ſic enim ſcribit libro VII. Sympoſiacon: τὸ δὲ τῶν ἐπικλήτων ἔθος, οὓς νῦν σκιὰς καλοῦσιν, οὐ κεκλημένους αὐτοὺς, ἀλλ' ὑπὸ τῶν κεκλημένων ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἀγομένους. Suetonius item in Auguſto capite LXIV. dicit Cajum & Lucium Auguſti ex Agrippâ ne-

potes, imo loco, id eſt infimâ parte lecti ſolitos fuiſſe accumbere; cùm Auguſtus unà cenaret. Niſi fortè vero imo loco, lecti fulcra dixerit Suetonius, ad quæ priſco more ſedentes cenitaſſe nobiles pueros Romanos auctor eſt Cornelius Tacitus. Verba Suetonii ſunt hæc: *Neque cenavit unà, niſi ut in imo loco aſſiderent: neque iter fecit, niſi ut vehiculo anteirent, aut circa adequitarent, &c.* Atque hic ordo diſcumbentium in cenâ etiam Sertorii ſervatus eſt: in quâ tamen ſcribit Plutarchus Sertorium mutato accumbendi modo, ſupinum diſcubuiſſe. Quis igitur fuerit in lectis apud veteres accumbendi modus video à nonnullis quæri: quibus nos quid in antiquis marmoribus ſcalptum, & à veteribus Scriptoribus relatum obſervaverimus, jam exponemus. Non enim uno eodemque modo in cenis ſepulchralibus antiquos accubuiſſe, quo in conviviis diſcumbere ſoliti erant,

tum

tum Græci & Latini Scriptores, tum ipſa marmora teſtantur. Nam in feralibus quidem cenis jacentes convivæ, reclinatâ ſuperiore parte corporis in cubitum ſiniſtrum, inferiore in longum porrectâ ponuntur, diſtentis aliquando cruribus, nonnunquam dextro poplite levum prementes genu: in conviviis verò incurvatis interdum genibus, & dimidiâ parte corporis erecti, pulviniſque innixi: aliquando, ut eſt apud Pacuvium, incoxantes additis pulvinis, principio quidem cenæ proni in cibum imminent, juxtà illud Plautinum in Milite:

Sed procellunt ſe, & procumbunt dimidiatim, dum appetunt.

(ita enim legitur in V. C.) exſaturati verò & cibo pleni, in cubitum ſe ſe reponunt, juxta Horatianum verſum ſuprà prolatum:

Languidus in cubitum jam ſe conviva reponet.

tunc

tunc enim ſupini, ut Sertorius in cenâ ſuprà memoratâ diſcubuiſſe dicitur (& ut inquit Lucianus in convivio Lapitharum, *μικροῦ δεῖν ὕπτιοι κατακείμενοι*) in veteribus tricliniis exprimuntur. Extat autem Romæ antiquum ſtibadium: è marmore ad ſimilitudinem Græcæ litteræ factum, in quo ut amicus meus homo doctiſſimus conjiciebat ex loco Sidonii infrà citato, convivæ ipſi non incurvatis genibus procumbentes, ſed coxim, ut loquitur Apuleius, interpoſitis pulvinis inſidentes ut Sagarii apud nos ſolent ſedere, repræſentantur. Erat enim Sigma lectus ſive torus, ad menſas rotundas accommodatus, quem ſemirotundum ſuggeſtum vocat Apuleius libro v. cùm ait: *Viſoque ſtatim proximo ſemirotundo ſuggeſtu propter inſtrumentum cenatorium, rata refectui ſuo commodum, libens accumbit.* Quòd autem formam, C. litteræ Græcæ repræſentaret, Sigma vocabatur, ut appa-

apparet ex diſticho Martialis in Apophoretis.

Accipe lunata ſcriptum teſtudine Sigma:
Octo capit, veniat quiſquis amicus erit.

Sigma verò litteram apud Græcos ſimilem fuiſſe arcui Scythico, docet Athenæus adducto Agathonis verſu libro x. apud quem cùm vellet quidam tertiam litteram nominis ΘΗΣΕΥΣ imperito cuidam litterarum indicare, oſtendit illam ſimilem eſſe arcui Scythico. ſic enim ait:

Σκυθικῷ τόξῳ τρίτον ἦν προσεμφερές.

De Sigmate ita ſcribit Lampridius in Elagabalo: *Primus*, inquit, *invenit Sigma in terrâ ſternere, non in lectulis, ut à pedibus utres per pueros ad reflandum ſpiritum ſolverentur*. & poſt: *Illud ſanè mirum videtur, quod dicitur ab eo factum, ut de croco Sigma ſtraverit, cùm ſummos viros rogaſſet*

ad

ad prandium. pro eorum dignitate ſe dicens fœnum exhibere. Septem autem convivas capiebat, licet Martialis in eo verſu, quem ſuprà protulimus, dixerit: *Octo capit.* nam libro x. verius locutus eſt. cùm dixit in epigrammate:

Septem Sigma capit, ſex ſumus, adde Lupum.

Itaque Lampridius refert hæc de Elagabalo: *Habuit hanc conſuetudinem, ut octo calvos rogaret ad cenam, item octo luſcos, & item octo podagroſos, octo ſurdos, octo nigros, octo longos, & octo pingues, cùm capi non poſſent omnes uno Sigmate: ut de his omnibus riſus citaret.* Sidonius libro II. epiſtolâ ad Domitium: *Ita ut miniſteriorum ſeſe non impediente famulatu, tot poſſit recipere ſellas, quot ſolet Sigma perſonas.* ſic enim emendandus hic locus, cùm in vulgatis libris corruptè legatur. Antiſigma vero vocabatur, qui ex alterâ parte ponebatur ſemicirculus ſive

ſemi-

ſemirotundus ut verbis utar Apuleianis) ſuggeſtus, qui mediâ interpoſitâ rotundâ menſâ, integrum efficiebat circulum.



Sed Sigma ipſum, ut in antiquo marmore reperitur, niſi aliquod in eo hæreat fabrile erratum, hic ſubjiciendum curavimus. Extat enim aliud, & quidem prorſus ſimile

Sigma.

Sigmatis Romæ item fragmentum, in quo convivæ ipſis genibus incurvatis, eo quo ſupra diximus modo, expreſſius ponuntur. Quin & alia plura reperiuntur Romæ Sigmata ſive ſtibadia ex marmore, in quibus eo quo dictum eſt modo jacentibus convivis, menſa appoſita eſt rotunda tripes, non modo ferculis extructa, ſed poculis etiam vinariis, de quibus dicetur infra.

His igitur modis, quos ſupra diximus, in triclinio diſcumbentibus Romanis, dabantur à miniſtris unguenta, & coronæ, vel ut eſt in marmore Farneſiano, tæniæ ſive faſciæ quædam, quibus frontem convivæ vincire ſoliti erant: quòd iis crederent ebrietatem impediri. Vnguentis verò liniebant non modo caput, ut infra dicetur, ſed pedes etiam diſcumbentium, ut indicat Athenæus pluribus locis, & libro XII. in quo adducit Antiphanem poëtam in Alceſtide inducentem quen-

quendam, qui oleo diſcumbentis pedes ungeret; & itidem in Metragyrte ancillam quandam, quæ oleo primùm pedes illineret diſcumbentis, ac deinde crura. ſic enim inquit. Ἀντιφάνης δὲ ἐν Ἀλκήστιδι, ἐλαίῳ ποιεῖ τινὰ χριόμενον τοὺς πόδας. καὶ ἐν Μητραγύρτῃ δέ φησι,

Τὴν τε παῖδ' ἀλείμματα
Παρὰ τοῦ θεοῦ λαβοῦσαν,
Εἶτα τοὺς πόδας ἐκέλευσεν
Ἀλείφειν πρῶτον, εἶτα τὰ γόνατα.

Vngebant autem pedes oleo tum Baccharino, tum Amaracino, ut innuit idem Athenæus prolatis verſibus ex Trophonio Cephiſodori, quibus cùm alter peteret emi ſibi Baccharinum unguentum ungendis pedibus hoc verſu:

Καὶ τοῖς ποσὶ πρίω χωρίς μοι βακχάρινον.

alter reſpondet: Baccharinum ego tuis pedibus emam? hoc verſu:

Βάκχαριν τοῖς σοῖς ποσὶν ἐγὼ πρίωμαι;

Sed

Sed Amaracino etiam uſos aliquando fuiſſe intelligi poteſt ex Amphidis verſu, quem citat idem Athenæus:

Τὸν πόδα δ' ἀμαρακίνοισι μύροισι τρί-
ψουσι τ' ἐμόν.

Uſi etiam ſunt ungendis pedibus Ægyptio unguento, cujus meminit Athenæus libro ſupra memorato, ſcribens, veteres in unguentorum uſu fuiſſe curioſos, & unicuique parti corporis idonea unguenta adſignaſſe: nam pedes & crura Ægyptio unguento: maxillas & ubera, Phœnicino: utrumque bracchium Syſimbrino: ſupercilium & comam Amaracino: cervicem & genua Serpullino unxiſſe, itaque adducit Antiphanis teſtimonium, qui ait:

Λοῦται δ' ὅς ἐκ χρυσοκολλήτου κάλπι-
δος,
Μύρῳ αἰγυπτίῳ μὲν τοὺς πόδας, καὶ τὰ
σκέλη,
Φοινικίνῳ δὲ τὰς γνάθους καὶ τὰ τιτθία,
Συσιμβρίνῳ δὲ τὸν ἕτερον βραχίονα,

Αμα-

Ἀμαρακίνῳ δὲ τὰς ὀφρῦς καὶ τὴν κόμην,
Ἑρπυλλίνῳ δὲ τὸ γόνυ καὶ τὴν αὐχένα.

Idem autem Athenæus libro xv. ſcribit moris fuiſſe apud Athenienſes, ut delicatorum pedes unguento ungerentur. Sic enim ait : ἔθος δὲ ἦν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις τοὺς πόδας τῶν τρυφώντων ἐναλείφειν, μύροις &c. ad quem morem reſpexit Plinius libro xv. capitè iii. cùm inquit: *Vidimus etiam veſtigia pedum tingi: quod M. Othonem monſtraſſe Neroni principi ferebant.* Sed non tantum pedes, ſed caput etiam (ut diximus) ungebant, præcipuè nardino. Tibullus libro II. elegiâ II.

Illius puro diſtillent tempora nardo.

& libro III. elegiâ VII.

Jam dudum Tyrio madefactus tempora nardo.

& Horatius:

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Celebratur autem præcipuè nardinum id, quod ex *ſpicis nardi* conficiebatur, quale *ſpicati nardi* dicitur à S. Mar-

S. Marco: & à S. Ioanne, *nardi piſtici*: niſi fortè illud *piſtici* factum ſit ex verbo *ſpicati*, ut aliæ multæ voces è Latio in Græciam advectæ, & è Græciâ itidem in Latium tranſportatæ, quas leviter interdum immutatas eſſe conſtat. Achæus in Vulcano Satyrico apud Athenæum libro XIV. dicit totum ſe corpus diſcumbentis convivæ fragranti unguento liniturum, cùm ait:

> Μύρῳ σε χρίσω πάμπαν εὐόσμῳ δέμας.
> Ὕδωρ δὲ θεῖψαι χεῖρας οὐ πρόσθεν δίδως,
> Ναὶ τράπεζαν ἐκποδὼν ἐπαίρεται.

Catullus:

> *Cenabis benè mi Fabulle apud me, &c.*
> *Nam unguentum dabo &c.*

Horatius lib. I. ode XII.

> *Cur non ſub altâ vel platano, vel hac*
> *Pinu, jacentes ſic temerè, & roſâ*
> *Canos odorati capillos.*

Pota-

Potamus uncti?

& libro II. ode VII.

Fregi coronatus nitentes,
Malobathro Syrio capillos.

& alibi:

I, pete unguentum puer & roſas.

& libro III. ode XXIX.

Cum flore Mæcenas roſarum, &
Preſſa tuis balanus capillis,
Iam dudum apud me eſt.

Item:

Huc vina, & unguenta, & nimium breves
Flores amœnæ ferre jube roſæ.

Item:

—— funde capacibus
Unguenta de conchis: quis udo
Deproperare apio coronas
Curatve myrto?

Lucretius libro IV.

—— convivia, ludi
Pocula crebra, unguenta, coronæ, ſerta parantur.

Iuvenalis Satyrâ XI.

—— putere videntur

Vnguenta

Vnguenta atque roſæ &c.

& Satyrâ XV.

Vnguenta & flores, multæque in
fronte coronæ.

Coronis autem unguento delibutis utebantur ad prohibendam ebrietatem. Plautus Amphitruone:

Capiam coronam mihi in caput, aſſimulabo me eſſe ebrium.

Cicero pro Sex. Roſcio: *Ipſe verò quemadmodum compoſito & delibuto capillo paſſim per forum volitet.*

Propertius libro III. elegiâ IV.

Me juvat & multo mentem vincire
Lyæo,
Et caput in vernâ ſemper habere
roſâ:

& alibi:

Cum tua præpendent demiſſa in pocula ſerta.

Ovidius libro V. Faſtorum.

Tempora ſutilibus cinguntur tota
coronis,
Et latet injectâ ſplendida menſa
roſâ.

Mar-

Martialis libro II.

Frange toros: pete vina: roſas cape: tingere nardo:

& libro V. ad miniſtros:

Pingueſcat nimio madidus mihi crinis amomo,
Laſſenturque roſis tempora ſubtilibus.

& libro XIII.

Dat feſtinatas Cæſar tibi bruma coronas:
Quondam veris erant, nunc tua facta roſa eſt.

Ex ramentis autem argenti fiebant coronæ tunc, cùm roſæ hieme non erant. Coronis autem, quas diximus è floribus necti ſolitas, convivæ utebantur, ut ſcribit Ariſtoteles, ἐν τοῖς συμποσίοις εὐτέλειαν καὶ ἀφθονίαν αἰνιττόμενοι τροφῶν. Itaque ut docet Athenæus, coronabant non tantum caput, & frontem, ſed collum etiam, ut oſtendit Horatius libro II. Satyrâ III.

——potus ut ille

M *Dici-*

Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas,
Poſtquam eſt impranſi correptus voce miniſtri.

Tibullus libro I. elegiâ VII.

Illiùs è nitido ſtillent unguenta capillo,
Et capite & collo mollia ſerta gerat.

Tertullianus de Coronâ militis: *Quis autem ille, qui dubitet vernis nos indulgere floribus cùm capiamus & roſam veris, & lilium, & quicquid aliud eſt in floribus blandi coloris, & odoris? His enim & ſparſis utimur mollibus ac ſolutis, & ſertis colla complectimur.* Coronabant etiam ipſa pocula, ut apparet ex Homeri verſu Odyſſ. I.

Κῦροι ἢ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.

Unde accepit Virgilius libro VII. Æneidis.

Crateras læti ſtatuunt, & vina coronant.

Tibullus libro II. elegiâ V.

Tum

Tum operata Deo pubes diſcumbet
in herbâ.
Arboris antiquæ quâ levis umbra
cadit :
Aut è veſte ſuâ tendet umbracula
ſertis
Vincta, coronatus ſtabit & ipſe
calix.

Tertullianus de Reſurrectione : *At enim & calix benè ſibi conſcius, & de diligentiâ miniſtri commendatur, de coronis quoque potatoris ſui inorabitur.* Roſis itidem triclinia & floribus ſpargi ſolita fuiſſe indicat Horatius, cùm ait :

Neu deſint epulis roſæ,
Neu vivax apium, neu breve li-
lium.

& Lampridius pluribus locis in Elagabalo : *Stravit*, inquit, *& triclinia de roſâ & lectos.* & poſt : *Oppreſſit in tricliniis verſatilibus paraſitos ſuos violis & floribus ſic, ut animam aliqui efflaverint, cum eripi ad ſummum non poſſent.* Vopiſcus in Carino: *Roſis*, in-

quit, *Mediolanenſibus & triclinia & cubicula ſtravit.* Atqui non tantum roſis, ſed croco etiam triclinia & balſamis, quemadmodum & theatra, ſpargi ſolita indicat Macrobius libro III. capite XIII. adducto Salluſtii teſtimonio, qui ait: *At Metellus in ulteriorem Hiſpaniam poſt annum regreſſus, magnâ gloriâ, concurrentibus undique virili, & muliebri ſexu, per vias & tecta omnium viſebatur, cum Quæſtor C. Urbinius aliique cognitâ voluntate, eum ad cenam invitarant. Ultra Romanorum ac mortalium etiam morem curabant, exornatis epulis per aulæa, & ſigna* (ſic enim legendum non *inſignia*) *ſceniſque ad oſtentationem hiſtrionum fabricatis, ſimul croco ſparſa humus* &c. Apuleius libro VI. *Horæ roſis & ceteris floribus purpurabant, omnia Gratiæ ſpargebant balſama.* De theatris notum eſt, vel ex illo Propertii verſu:

Pulpita ſollemnes non oluere crocos.

&Spar-

& Spartianus ſcribit Hadrianum in honorem Trajani balſama & crocum per gradus theatri fluere juſſiſſe. Sed coronarum, itemque roſarum, & unguentorum uſu in conviviis explicato, dicendum de vaſis, quibus unguenta ſervabantur. Vaſa unguentaria Julius Pollux ponit libro VI. hæc: τὰ δὲ ἀγγεῖα τῶν μύρων, λήκυθος, μύρηρα, καὶ ἀλάβαστρος. Plinius libro XIII. capite II. *Unguenta optimè ſervantur in alabaſtris.* & libro XXXVI. capite VIII. *Onychin aliqui alabaſtritem vocant, quem cavant ad vaſa unguentaria, quoniam optimè ea incorrupta ſervare dicitur.* Dioſcorides libro V.

Ἀλαβαστρίτης λίθος ὁ καλούμενος ὄνυξ.

Inde Horatius verſu ſupra citato dixit:

Nardi parvus onyx.

Plinius libro XXXVII. capite X. *Alabaſtritem gemmam naſci in alabaſtro Ægypti, & in Syriæ Damaſco, can-*

dore interſtincto variis coloribus. Hinc Theocritus in Idyllio Ἀδωνιάζουσαι dixit:

Συρίῳ δὲ μύρῳ χρύσει' ἀλάβαστρα.

Unde apud Tibullum verſu ſuprà prolato melius fortaſſe legeretur:

Iamdudum Syrio madefactus tempora nardo.

(non *Tyrio*, ut vulgò legitur) nam apud Horatium libro II. ode. II. eſt:

—— *Aſſyriâque nardo*
Potamus uncti &c.

& rurſus apud Tibullum libro III. elegiâ v.

Stillabat Syrio myrrhea rore coma.

(non *Tyrio*) ſic enim eſt utroque loco in VV. CC. Plutarchus item in Alexandro nominat inter alia vaſa unguentarium alabaſtrum, è quo domus Alexandri excitato aromatum odore fragrabat: ſic enim inquit: ὡς δὲ εἶδε μὲν ὄλκεια, καὶ κρωσσοὺς, καὶ πυέλους, καὶ ἀλαβάστρους, πάντα χρυσοῦ ἠσκημένα περιττῶς, ὀδώδει δὲ θεσπέσιον

σιον

σιον οἷον ὑπὸ ἀρωμάτων καὶ μύρων ὁ οἶκος. Alexis etiam apud Athenæum queritur unguentario alabaſtro quoſdam ſe non illinere, cùm ait. *οὐ καὶ ἐμυρίζοντο ἐξ ἀλαβάστρου*. Et Cicero Academicarum Quæſtionum libro II. nominat alabaſtrum unguentarium, his verbis: *Quibus etiam alabaſter plenus unguenti putere videatur*. In veterum autem monumentorum ruderibus ex alabaſtro vaſa quædam hujuſmodi paſſim Romæ reperiuntur, & ampullæ item, quarum ſanè forma convenit cum iis, quæ ſcribit Plinius Junior libro IV. Epiſtolarum. *Aut deceſſit*, inquit, *expulſus, quod in ampullis ceteriſque generis ejuſdem videmus accidere, quibus non hians, nec ſtatim patens exitus*. Martialis libro III.


Et Coſmianis ipſe fuſus ampullis.

***

Vaſa duo unguentaria, in appoſito ſchemate exhibemus, ex Clariſſimo viro Ludovico Moſcardo *qui libro* I. *capite* XXXI. *rerum rariorum ſui Muſæi narrat, ea à ruſtico in agro*

 Veronenſi

Vaſa Vnguentaria. Vitrea



Veronenſi eſſe reperta, unguento adhuc plena, quo ruſticum ignarum quid rei eſſet, quidve in iis contineretur, uſum fuiſſe ſcribit ad illiniendas & inungendas rotas: atque eo conſumpto vaſa hæc Pharmacopolæ Veronenſi vendidiſſe: ex cujus liberalitate ea ſit tandem ipſe adeptus.

**

Porrò in antiquis marmoribus non tantum vaſa quædam hujuſmodi unguentaria, ſed & pueri etiam ſcalpti ſunt, qui caniſtros, & ſerta, & ut ſcribit Athenæus libro XIV. στεφάνους, καὶ μύρα, καὶ θυμιάματα, καὶ τὰ τούτοις ἀκόλουθα πάντα ferentes, alii flores manibus ſpargunt, alii convivas coronant, alii menſas ferculis onuſtas epulantibus apponunt, juxta Plautinum illud in Perſâ:

Date aquã manibus, apponite menſam.

& in Aſinariâ:

——*pueri apponite menſam.*

item Cicero in epiſtolâ ad Atticum:

Hæc ſcripſi appoſitâ ſecundâ menſâ.

Græci enim παραθεῖναι dicunt cui ἀφαιρεῖσθαι opponunt. Plautus Amphitruone:

Cena appoſita eſt, cenaſti mecum.

& poſt:

Am. Quid poſtquam cenavimus.

Al. Te dormitare ajebas: menſâ ablata eſt.

Alii flabello muſcas exigunt, juxtà Martialis diſtichon:

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muſcas,
Alitis eximiæ cauda ſuperba fuit.

vel ventum faciunt, juxtà Terentianum illud in Eunucho:

Heus tu Dore, cape hoc flabellum, & ventulum huic facito, dum lavamur.

Ovidius de arte amandi:

Profuit & tenui ventos moviſſe flabello.

Propertius:

Et mihi pavonis cauda flabella ſuperbæ.

Claudianus:

Et cùm ſe rapido feſſâ projecerat æſtu
Patricius roſeis pavonũ ventilat alis.

Salinum item & vaſa tum vinaria, tum eſcaria, de quibus infra dicemus,



mus, in iiſdem marmoribus expreſſa ſunt. Nos exemplum unius tantum marmoris, ſed ipſum diligenter repræſentatum hic ſubjiciemus. In eo autem lectus & menſa habetur tripes, diſcumbentibus marito & uxore, eo quo diximus modo in cenis feralibus veteres accumbere ſolitos fuiſſe. Quin & aliud huic prorſus ſimile marmor reperitur Romæ ad Lateranum Græcè inſcriptum, ΗΔΥΣ ΒΙΟΣ ΤΟ ΖΗΝ ΓΛΥΚΥ ΤΟ ΘΑΝΕΙΝ ΥΠΟΨΙΑ.

Salinum quidem in menſâ poni ſolitum fuiſſe Horatius oſtendit illo verſu Sermonum libro I.

—— *& concha ſalis puri.*

& Feſtus: *Salinum* (inquit) *cum ſale in menſâ ponere figulis religioni habetur, quod quondam Eſquilinâ regione figulo cùm fornax plena vaſorum coqueretur, atque ille proximè eam convivatus, ſuper modum potus, ſomno eſſet oppreſſus cum convivis ſuis, prætetiens quidam petulans oſtio patente*

ex

ex menſâ ſalinum conjecit in fornacem, atque ita incendio excitato, figulus cum ſuis concrematus eſt. Plinius libro XXXIII. capite XII. *Videret*, inquit, *Fabricius, qui bellicoſos Imperatores plus, quàm pateram & ſalinum ex argento habere vetabat.* Menſæ quidem ipſæ ferculis onuſtæ (aut ut Cicero loquitur, *cibis extructæ*) accumbentibus convivis non ſingulæ ſingulis, ut in Heroum conviviis apponi ſolitas ex Homeri Odyſſeæ libro I. notat Athenæus: ſed ex lectorum ratione oblongæ, quas *perpetuas* vocat Virgilius, apponuntur, ut plurimum tripedes, aliquando monopodia, bipedes nunquam. Athenæi verba ex lib. I. ſunt hæc: οὐκ οἴονται δὲ τινὲς ἑκάστῳ τῶν δαιτυμόνων κατ' ἄνδρα παρακεῖσθαι τράπεζαν. τῷ γοῦν Μέντῃ φασὶν ἀφικομένῳ πρὸς Τηλέμαχον ἐν τῇ Ομήρου ὀδυσσείᾳ ξεστὴ παρετέθη τράπεζα. Quo verſu oblongam menſam Homerus ſignificavit: nam Euſtathius ejus interpres in eum verſum libr. IX. ſic ſcribit

bit ἐμφαίνῃ μήπω κυκλωτέρας εἶναι τὰς τραπέζας, ἀλλὰ πεταννυσμένας εἰς μήκωσιν. Sed ſive oblonga, ſive ut poſtea rotunda: apponi dicebatur menſa. Pherecrates apud Athenæum: φέρε δὴ τὴν κλινῶ, σὺ δὲ τράπεζαν φέρε. Ubi verò cenaſſent convivæ, menſa tolli dicebatur. Plautus Truculento:

—— cedo ſoleas mihi,
Properate, auferte menſam.

Virgilius Æneidis II.

Poſtquam exempta fames epulis,
menſæque remotæ.

Athenæus libro V. ἀπαλλαγέντων δὲ, inquit, τῶν δειπνούντων, αἱ τράπεζαι ἐβαστάζοντο. Toties autem menſas, hoc eſt repoſitoria, quoties fercula, & obſonia mutari, & convivantibus apponi à duobus ſolitas fuiſſe, non ut poſtea mos obtinuit, ut ſingula fercula ſinguli ferrent, conjicere poſſumus ex iis, quæ ſcribit Alexis apud Athenæum libro IX. cujus verſus ſunt hi:

Ὡς εἶδε τὴν τράπεζαν ἀνθρώπους δύο

Φέρον-

Φέροντας εἴσω, ποικίλων παροψίδων
Κόσμου βρύουσαν &c.

Menſas enim dicebant, quibus imponebantur vaſa tum eſcaria, tum vinaria, quaſque ferculis onuſtas duo ſervi (ut diximus) convivis apponebant, juxta Ovidianum illud:

Nunc dape, nunc poſito menſæ nituere Lyæo.

& Apuleianum: *Menſas dapibus largiter inſtructas accumbunt.* Ad quod teſtimonium accedit Servii etiam auctoritas, qui in verſum illum Virgilianum, quem adduximus ſuprà:

Poſtquam exempta fames epulis, menſæque remotæ

ſic ſcribit: *Quia apud antiquos menſas ipſas apponebant pro diſcis.* Ponebant autem menſam, mediam inter convivas: unde putat Varro dictam menſam, quaſi *μέσην*. Quod colligitur ex loco etiam quodam Luciniani in dialogo, qui *ὄνειρος*, ſive *ἀλεκτρυὼν* inſcribitur, in quo ſic habetur: *εἶτα μηδενὸς ἀνεχομένου πλησίον κατα-*

κατακεῖσθαι αὐτοὺς, ἐμὲ κατακλίνουσι, φέροντες, ὡς ὁμοτράπεζοι εἴημεν.

Apud Senecam tamen ſinguli ſervi ſingula fercula attuliſſe videntur, cùm inquit: *Ad hoc præſto aderit miniſtrorum ornatiſſimorum turba linteis ſuccincta, per quos ſigno dato ad inferendam cenam haud obſtrepentēr diſcurritur.*

Itaque de Annio queritur Martialis libro VI. his verſibus.

Cum menſas habeat ferè ducentas,
Pro menſis habet Annius miniſtros,
Tranſcurrunt gabatæ, volantque menſæ:
Has vobis epulas habete lauti.
Nos offendimur ambulante cena.

& libro IV.

Ad cenam nuper Varus me fortè vocavit:
Ornatus dives, parvula cena fuit.
Auro, non dapibus oneratur menſa, miniſtri
Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.

Tunc ego, non oculos, ſed ventrem paſcere, veni:
Aut appone dapes Vare, vel aufer opes,

Nam menſas vocabant etiam cibos ipſos menſis impoſitos, ut ſcribit Julius Pollux his verbis: τραπέζας ἣ ἐκάλουν καὶ τὰ σιτία τὰ ἐπ' αὐτῶν τιθέμενα. Virgilius libro III. Æneidis.

Quàm vos dira fames, noſtraque injuria cædis,
Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.

& Athenæus libro II. πάντων τραπέζας καλούντων τὰς παραθέσεις ταύτας. Cenaſſe autem ternis, ut plurimum ferculis, ſive miſſibus, hoc eſt menſas ter ut plurimum mutaſſe, ex Suetonio colligimus, qui ait Auguſtum ternis ferculis, aut cùm abundantiſſimè, ſenis præbuiſſe. Capitolinus etiam de Pertinace Imperatore ita ſcribit: *Et niſi quod miſſum eſſet edulium, quotquot eſſent amici,*

novem

novem libras carnis per tres miſſus ponebat. Lampridius in Elagabalo: *Habuit etiam iſtam conſuetudinem, ut cenas ſibi exhiberet tales. Unâ die non niſi de faſianis tantum ederet, omneſque miſſus ſolâ faſianorum carne ſtrueret. Item aliâ die de pullis, aliâ de piſce illo, & item illo: aliâ de porcis, aliâ de ſtruthionibus, aliâ de oleribus, aliâ de pomis, aliâ de dulciis, aliâ de opere lactario.* Pluribus tamen ferculis, id eſt miſſibus (his enim vocabulis res eadem appellatur) interdum cenitaſſe, ſatis apparet ex iis, quæ de eodem Elagabalo ita ſcribit Lampridius: *Exhibuit aliquando & tale convivium, ut haberet viginti & duo fercula ingentium epularum, & per ſingula lavarent.* nam dixit paulò ſuprà: *Cùm tantum biberent per ſingula fercula, & manus quaſi comediſſent, lavarent.* Servius tamen priſcos Romanos duobus tantùm ferculis uſos fuiſſe auctor eſt in illud Virgilii:

Fit

Fit ſtrepitus tectis, vocemque per
ampla volutant
Atria. ——

Tangit, inquit, *Romanam hiſtoriam, nam ut ait Cato, & in atrio, & duobus ferculis epulabantur.* Illud præterea non eſt hic prætermittendum, moris apud veteres fuiſſe, ut nobiliores convivæ lautioribus cibis honorarentur. Unde apud Homerum Aiax tergoribus honoratur, iſto verſu:

Νώτοισι δ' Αἴαντα διηνεκέεσσι γέ-
ραιρε.

& Athenæus ſcribit libro I. εἰσὶ δὲ καὶ ἀρίστοις κατὰ δεῖπνα τιμαί. Atqui non tantum tergoribus, ſed ſede & plenioribus poculis honorabantur, ut ex Homeri Iliade IX. apparet, in quo eſt:

Τυδείδη περὶ μέν σε τίον Δαναοὶ τα-
χύπωλοι
Ἕδρῃ, κρέασίν τε ἰδὲ πλείοις δε-
πάεσσιν.

Apuleius libro VII. *Parteſque ſubreptas*

ptas clanculo, & prægustatas à ſe portiones offerebat bilaris. & libro II. *Abi fatue, qui in domo funeſtâ cenas, & partes requiris.* Item moris fuit, ut abſentibus amicis partes mitterentur, quas Græci μερίδας dixerunt: Suetonius in Caligulâ capite XVII. *Quâ epulatione equiti Romano contra ſe hilarius avidiuſque veſcenti, partes ſuas miſit.* Spartianus in Caracallâ: *Poſt hoc fratrem patruelem Afrum, cui pridie de cenâ miſerat, juſſit occidi.* Cicero dixit de *menſa mittere*, æmulatus illud Xenophontis ex libro VIII. Pæd. τούτοις ἔπεμπεν ἀπὸ τραπέζης. & poſt: οἷς ἂν ὁρῶσι πεμπόμενα ἀπὸ τοῦ βασιλέως τραπέζης. Capitolinus in Pertinace, de ejus parſimoniâ loquens, ita ſcribit: *Et cùm verbis eſſet affabilis, re erat illiberalis ac propè ſordidus, ita ut dimidiatas lactucas & carduos in privatâ vitâ conviviis apponeret, & niſi quod miſſum eſſet edulium &c. Si autem plus aliquid miſſum eſſet, etiam in alium diem differebat,*

cùm

cùm ſemper ad convivium multos vocaret. Imperator etiam ſi ſine conviviis eſſet, eâdem conſuetudine cenitabat. Amicis ſi quando de prandio ſuo mittere voluit, miſit offulas binas, aut omaſi partem, aliquando lumbos gallinaceos, faſianum nunquam privato convivio comedit, aut alicui miſit. Et Lampridius de Alexandri Severi item parſimoniâ ſcribens, hæc refert: *Uſus convivii diurnus hic fuit. Vini ad totum diem ſextarii* xxx. *panis mundi P.* xxx. *panis ſequentis ad donandum. P. L. nam ſemper de manu ſuâ miniſtris convivii & panem, & partes aut olerum, aut carnis, aut leguminum dabat, ſenili prorſus maturitate patrem familias agens.* Erant *decreta & carnis diverſa P.* xxx. *erant & gallinæ, & ova, adhibebatur & anſer diebus feſtis. Calendis autem Ianuarii, & ludis Apollinaribus & Jovis epulo, & Saturnalibus & hujuſmodi feſtis diebus faſianus, ita ut aliquando & duo ponerentur, additis gallinaceis duobus lepo-*

leporem quotidie habuit &c. Quòd enim diebus feſtis lautius epulari conſueverint, ita notum eſt, ut exemplis ad id probandum opus non ſit. Scribit enim Vopiſcus in Tacito, eum faſianam avem, non niſi ſuo, & ſuorum natali, *& diebus*, (ut inquit). *feſtiviſſimis* poſuiſſe. Miniſtris etiam tricliniariis de cenâ veteres dare ſolitos fuiſſe, conſtat pluribus Scriptorum teſtimoniis, & ex Suetonii Galbâ capite XII. in quo eſt: *Et ordinario quidem diſpenſatori breviarium rationum offerenti, parop ſidem leguminis pro ſedulitate ac diligentiâ porrexiſſe.* Tolli autem menſam vacuam nefas fuiſſe ſcribit Plutarchus, Quæſtione LXIV. in quâ diſputat, cùr menſa cùm tolleretur, ſemper omnino aliquid ſuper eâ volebant relinqui? An quòd hac ambage ſignificabant ſemper ex partis aliquid in futurum reſervandum, & in præſenti die ſubſequuturæ aliquam habendam rationem? Aut quòd ſcitum puta-

putabant, appetitum cohibere, eumque reprimere, dum adhuc aliquid ad fruendum in promptu eſt? Plutarchi verba ſunt hæc: *Διὰ τί τὴν τράπεζαν οὐκ εἴων ἀνῃρεῖσθαι κενὴν, ἀλλὰ παντὸς τινὸς ἐπόντος; πότερον αἰνιττόμενοι τὸ δεῖν τοῦ παρόντος εἰς τὸ μέλλον ὑπολιπεῖν, καὶ τοῦ αὔριον ἐν τῇ σήμερον μνημονεύειν; ἢ νομίζοντες ἀστεῖον εἶναι τὸ συστέλλειν, καὶ ἀνέχειν τὴν ὄρεξιν ἔτι παρούσης τῆς τραπέζης.* Item Plinius libro XXVIII. capite II. tradit bibente convivâ menſam vel repoſitorium tolli inauſpicatiſſimum judicare. Menſa verò non prius tollebatur, quàm epoto poculo boni Dæmonis, ut ſcribit Athenæus libro XV, prolato Nicoſtrati Comici poëtæ teſtimonio. ſic enim inquit: *ὅτι δὲ δοθείσης τοῦ ἀγαθοῦ δαίμονος κράσεως ἔθος ἦν βαστάζεσθαι τὰς τραπέζας.* De quâ ſanè conſuetudine interpres Ariſtophanis in Veſpis ſic ſcribit: *ἔθος δὲ ἦν ὁπότε μέλλοι ἡ τράπεζα αἱρεῖσθαι ἀγαθοῦ δαίμονος ἐπιῤῥοφεῖν, ὡς Θεόπομ-*

πος

πος ἱςορεῖ. Scribit item Plinius moris fuiſſe, *ut recedente aliquo ab epulis, ſimul ſolum verreretur.* Item: *Servi Sulpicii principis viri commentationem eſſe, quamobrem menſa linquenda non ſit, nondum enim plures quàm tres convivæ numerabantur.* (ſic enim eſt in V.C.) Item: *Incendio inter epulas nominato, aquam ſuper menſam profundi, abominationem eſſe,* (vel ut eſt in V.C. *incendia inter epulas nominata aquis ſub menſâ profuſis abominamur.*) Item: *Sternutamento revocari ferculum menſamve ſi non poſtea guſtetur aliquid, inter diras habetur.* Item, *Cibus etiam è manu prolapſus reddebatur utique per menſas, vetabantque munditiarum cauſâ deſlare.* Porrò repoſitoria, quæ loco ſuprà memorato nominantur à Plinio, dici ea quibus reponebantur, hoc eſt, collocabantur menſæ, id eſt, cibaria menſis impoſita, vel ex altero Plinii locò conſtat libro XXXIII. capite XI. in quo ita ſcribit: *Jam verò,*

rò, & menſas, repoſitoriis imponimus, & ad ſuſtinenda obſonia interradimus latera. nec intereſt, quàm plurimum limâ perdiderit. Sic enim legitur in V. C. & paulò poſt eodem libro, capite eodem: *Cornelius nepos tradit, ante Sullæ victoriam duo tantum triclinia Romæ fuiſſe argentea. Repoſitoriis argentum addi ſuâ memoriâ cœptum Feneſtella dicit, qui obiit noviſſimo Tiberii Cæſaris principatu: ſed & teſtudinea tum in uſum veniſſe. Ante ſe autem paulò, lignea rotunda ſolida, nec multò majora, quàm menſas fuiſſe. Sequidem puero quadrata & compacta, aut acere operta, aut citro cœpiſſe: mox additum argentum in angulos, lineaſque per commiſſuras.* & l. XXVIII. c. II. loco ſuprà prolato: *Bibente conviva menſam aut repoſitorium tolli inauſpicatiſſimum judicari.* Ut videri poſſit repoſitorium fuiſſe, ſuper quo menſa reponeretur, quæque ſic repoſita cum ipſo repoſitorio ferculis onuſta convivis apponeretur, tollere-

turque itaque dici à Græcis τραπεζοφόρον, quòd ſuper eo menſa ferebatur, auferebaturque. Interdum tamen repoſitoria menſis ipſis imponi ſolita fuiſſe, conjicere poſſumus ex iis, quæ apud eundem Plinium habentur libro XVIII. capite XXXV. ſub finem: *Nec non & in cibis* (ſic enim eſt in V. C.) *menſiſque noſtris, vaſa quibus eſculentum additur, ſudorem repoſitoriis relinquentia, diras tempeſtates prænuntiant.* & libro X. *Poſtea culinarum artes, ut clunes ſpectentur, ut dividantur in tergora, ut à pede uno dilatata repoſitoria occupent.* itaque loco paulò ſuprà citato, ſunt qui legant: *& menſis repoſitoria imponimus.* Menſas autem apud Romanos duas fuiſſe tradit Servius libro I. Æneidos, unam epularum, alteram poculorum. Varro alteram eſcariam, alteram vinariam appellat. ſic enim ſcribit libro IV. de linguâ latinâ. *Menſam eſcariam cibillam*, (ſive ut eſt in V. C.) *Cillibam*,

bam, *appellabant* : *ea erat quadrata*, *ut etiam nunc in Caſtris eſt* : *à cibo cibilla dicta* : *poſtea rotunda facta*. Inde dixit Juvenalis Satyrâ I.

Nam de tot pulchris & latis orbibus

& Martialis libro IX.

Vt Mauri Lybicis centum ſtent dentibus orbes.

Homerus quadratam tantum menſam agnoſcit, cùm inquit : παρὰ δὲ ξεστὴν ἐτάνυσσε τράπεζαν. Rotunda ut poſtea fieret, cauſam affert Athenæus libro IX. quod ſcilicet globoſum eſſe mundum veteres arbitrarentur: Διὸ, inquit, τὴν τράπεζαν κυκλοειδῆ κατεσκευάσαντο οἱ παλαιοὶ, πειθόμενοι τὸν κόσμον εἶναι σφαιροειδῆ. Menſæ vero priſcis illis temporibus apud Romanos ex ligno, ut etiam lecti, fieri ſolebant, ut oſtendit Dionyſius Halicarnaſſeus loco ſuprà memorato, cùm inquit : τραπέζας ξυλινὰς ἀρχαϊκάς. & Juvenalis Satyrâ II. his verſibus :

Illa domi natas, noſtraque ex arbore menſas
Tempora viderunt: hos lignum ſtabat in uſus,
Annoſam ſi fortè nucem dejecerat Eurus.

Poſtea creſcente luxu fieri è citro cœperunt, quas orbes Mauros dixit Martialis in eo verſu, quem adduximus ſuprà, quod ex Mauretaniâ eſſent adductæ, de quibus ita Plinius libro XIII. capite XV. *Confines ei Mauri, quibus plurima arbos citri, & menſarum inſania* &c. & capite XVI. *Radice*, inquit, *nihil criſpius, nec aliunde pretioſiora opera.* Vnde Seneca ſcribit citri radices inſanis licitari ſolitas pretiis ad menſarum & lectorum ornamenta. Idem Plinius eodem libro capite XV. *Anchorarius*, inquit, *mons vocatur citerioris Mauritaniæ, qui laudatiſſimam dedit citrum jam exhauſtus menſis. Præcipua dos in venâ criſpis, vel in vertice variis. Illud oblongo evenit diſcurſu, ideoque Tigrinæ appellan-*

pellantur. Hoc intorto, & ideo tales Pantherinæ vocantur. Sunt & undatim criſpæ, majore gratiâ, ſi pavonum caudæ oculos imitentur. Magna verò poſt has gratia extrà prædictas criſpis denſa veluti gravi congerie, quas ob id à ſimilitudine Apiatas vocant. ſummà verò omnium in colore. Ita interpungitur hic locus in codice manuſcripto, in quo legitur: *Illud oblongo evenit diſcurſu, ideoque Tigrinum appellatur: Hoc intortum, & ideo &c.* Strabo libro XVII. ſcribit Mauretaniam arbores multas & magnas habere, & omnium rerum feracem eſſe, quin & menſas ex uno eodemque integro ligno varias Romanis ſuppeditare. Græca verba ſunt hæc: *μεγαλόδενδρός τε καὶ πολύδενδρος ὑπερβαλλόντως ἐστὶ, καὶ πάμφορος. τὰς γοῦν μονοξύλους τραπέζας ποικιλοτάτας καὶ μεγίστας ἐκείνη τοῖς Ῥωμαίοις παρέχει.* Cicero in Verrem: *Tu maximam, inquit, & pulcherrimam menſam citream à Q. Lutatio Diodoro. qui*

Q. Catuli beneficio à L. Sullâ civis Romanus factus eſt, omnibus ſcientibus abſtuliſti. Martialis in Apophoretis:

Accipe felices Atlantica munera ſilvas,
Aurea qui dederit dona minora dabit.

Item:

Non ſum criſpa quidem, nec ſilvæ filia Mauræ,
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

Acernam verò ex acere factam dixit Horatius Sermonum libro II.

His ubi ſublatis puer altè cinctus acernam
Gauſape purpureo menſam præterſit.

De menſis, quæ monopodia dicebantur, quòd uno tantum pede ſuſtinerentur, ità ſcribit Plinius libro XXXIV. capite III. *Nam triclinia ærata abacoſque & monopodia Cn. Manlium Aſiâ devictâ primùm invexiſſe*

vexiſſe triumpho ſuo. Menſa bipes in antiquis marmoribus non reperitur, licet Martialis libro XII. dixerit:

Ibat tripes grabatus, & bipes menſa.

Tripes in pluribus veteribus tricliniis habetur, de quâ Horatius libro I. Sermonum.

Modo ſit mihi menſa tripes, & concha ſalis puri.

Cratinus hujuſmodi menſam τρισκέλῆ dixit, quòd tribus quaſi cruribus niteretur, cujus ſcilicet pedes ad ſimilitudinem crurum eſſent facti. Sed menſa item quæ quattuor pedibus ſuſtinebatur, tripes etiam ab antiquis dicebatur, ut ex hoc Epicharmi loco intelligi poteſt: τί τὰ δ' ἐστὶ; δηλαδὴ τρίπους. τί μὰν ἔχει πόδας τέτταρας; οὐκ ἐστι τρίπους, ἀλλ' οἴμαι τετράπους. ἐστι δ' ὄνομα αὐτῇ τρίπους. De pedibus menſarum ex ebore videndus Plinius libro XII. capite V. Lucanus:

Dentibus his niveis ſectos Atlantide ſilva

Impoſuere orbes &c.

Martialis in Apophoretis:

Grandia taurorum portant qui corpora, quæris
An Lybicas poſſint ſuſtinuiſſe trabes.

Juvenalis Satyrâ XI.

——latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes:

& poſt:

Nemo inter curas & ſeria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu teſtudo nataret.
Clarum Trojugenis factura, ac nobile fulcrum.

Inde Plato Comicus, de lectis cubicularibus ἐλεφαντόποδας κλίνας dixit apud Athenæum. & Apuleius libro X. de Aſino: *Lectus Indicâ teſtudine pellucidus, plumeâ congerie tumidus.* Varro libro IV. de menſâ vinariâ ſic ſcriqit.

ſcribit: *Menſam vinariam rotundam nominabant cylibantum, ut etiam nunc in Caſtris id videtur, declinatum à Græco.* ἀπὸ τῆς κύλικος, à quo illa capis, & minores capulæ, à capiendo: quòd anſatæ, ut præhendi poſſint, id eſt capi. (ſic enim legendum ex Feſto, in Capidines.) Idem Varro libro 1. de vitâ populi Romani: *Etiamnum pocula, quæ vocant capulas, ac capidines &c.* Paulò poſt loco ſuprà memorato Varro ſubjungit hæc. *Altera vinaria menſa erat lapidea quadrata oblonga unâ columellâ: vocabatur cartibulum. Hæc in ædibus ad compluvium, apud multos me puero ponebatur, & tina, & cum eâ ænea vaſa: à gerendo cartibulum poteſt dictum.* Ita enim legunt hunc locum docti viri ex Varronis libro 1. de vitâ populi Romani, in quo ſic habetur: *Antiquiſſimi in conviviis utres vini primò, poſtea tina ponebant.* Abacus apud Scriptores etſi pro eſcariâ menſâ reperiatur, ut apud Apuleium libro 11. cùm inquit. *Abacum ad*

paſcua jurulenta,(ſic enim legendum non *virulenta*) frequentiùs tamen ponitur pro menſâ illâ in quâ pocula potoria exponebantur, nec ſuprà ſex capiebat, ut conjici poteſt ex verſibus Juvenalis Satyrâ III.

Lectus erat Codro Procula minor, urceoli ſex
Ornamentum abaci: nec non & parvulus infrà
Cantharus &c.

& ex Plinii etiam libro XXXVII. capite II. in quo ſcribit *Pompeium in triumpho, quem egit de Piratis, Aſiâ, Ponto, regibuſque & gentibus attuliſſe lectos tricliniares tres, vaſa ex auro & gemmis novem abacorum.* Quibus verbis deſignat certum poculorum numerum in abaco reponi ſolitum. Cicero in Verrem libro IV. *Ab hoc iſte abaci vaſa omnia, ut expoſita fuerant, abſtulit.* & Tuſculana V. *Abacos complures ornavit auro, & argento cælato.* Livius XXXIX. *Et quæ tunc magnificæ ſupellectilis habebantur, monopodia*

nopodia & abacos, Romam advexerunt. Auſonius:

> *Fama eſt fictilibus cenaſſe Agathoclea regem:*
> *Atque abacum Samio ſæpe oneraſſe luto.*

Eundem abacum, ſive Delphicam menſam dicere malumus, videtur innuere Horatius illo verſu:

> —— *& lapis albus*
> *Pocula cum cyatho duo ſuſtinet* ——

Nam Agretius ſcribit in Delphicâ menſâ exponi ſolita fuiſſe vaſa ſemper comparia: juxtà illud Ciceronis, *Scyphorum comparia plura:* & Varronis libro VIII. *Sic abacum argento ornari videmus, ut alia paria ſint, alia diſparia.* Delphicæ menſæ, in quâ pocula exponerentur, facit mentionem Lucianus in Lexiphane: *ποτήρια δ' ἔκειτο παντοῖα ἐπὶ τῆς δελφινίδος τραπέζης.* Præterea erat tertium genus menſæ, inquit Varro loco memorato, *etiam quadratæ vaſorum, vocabaturque urnarium, quòd*

urnas cum aquâ poſitas ibi potiſſimum habebant in culinâ. Sed hoc tertium genus menſæ, in culinâ: eſcaria, & vinaria, in triclinio ponebantur. Apud Græcos menſæ non operiebantur linteis, ſed poſt cenam ſpongiâ ſordes ex eis tergebantur. Hinc illa apud Ovidium in epiſtolâ Penelopes ad Ulyſſem:

Iamque aliquis poſitâ monſtrat fera prælia menſâ,
Pingit & exiguo Pergama tota mero.

Homerus Odyſſeæ libro I.

Οἱ δ' αὖτε σπόγγοισι πολυτρήτοισι τραπέζας
Νίζον, καὶ προτίθεντο, ἰδὲ κρέα πολλὰ δατεῦντο.

Quem morem expreſſit Horatius libro II. Sermonum illo verſu:

Gauſape purpureo menſam perterſit ——

Martialis:

Hæc tibi ſorte datur tergendis ſpongia menſis.

Plau-

Plautus Menæhm.

Juventus nomen fecit Peniculo mihi
Ideo, quia menſam, quando edo, detergeo.

Inde factum nomen ſervis Peniculis, quod penicillo menſas mundarent. Romanos autem linteis menſas interdum texiſſe apparet, vel ex hoc Martialis epigrammate, quod eſt, libro XIV.

Nobilibus villoſa tegant tibi lintea citrum,
Orbibus in noſtris circulus eſſe poteſt.

& libro IX.

Inde ſatur menſas, & opertos exuit orbes.

Sed non omnibus in uſu fuiſſe, ut menſas operirent, apparet ex verſibus ejuſdem Martialis libro XI.

Menſas Ole bonas ponis, ſed ponis opertas:
Ridiculum eſt: poſſum ſic ego habere bonas.

Mappis

Mappis autem ſive mantilibus(*mantile* enim pro *mappâ* dixit Lucilius, cùm ait; *Mantela merumque*) ad abſtergendas manuum ſordes inter cenandum contractas, quæ Græci χειρόμακτρα appellant, ipſum convivii dominum non inſtraviſſe menſas, pro ſe autem unum quemque convivam adferre conſueviſſe, conjici poteſt ex Catulli hendecaſyllabo ad Aſinium Marruccinum, in quo ait:

Marruccine Aſini manu ſiniſtrâ
Non bellè uteris in joco, atque vino:
Tollis lintea negligentiorum &c.
Quarè aut hendecaſyllabos trecentos
Expecta: aut mihi linteum remitte.

& Martialis libro XI.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:
Mantile è menſa ſuſtulit Hermogenes.

Interdum tamen ipſi convivatores menſas mantilibus ſternebant, ut indicat Horatius libro II. Sermonum.

Vilibus

Vilibus in ſcopis, in mappis, in ſcobe quantus
Conſiſtit ſumptus, &c.

& Lampridius in Elagabalo, cùm inquit: *Exhibuit paraſitis cenas de vitreis, & nonnunquam tot picta mantilia in menſam mittebat his edulіis picta, quæ apponerentur, quot miſſus eſſet habiturus.* Ex quibus verbis conjici etiam poteſt veteres ſingulis miſſibus mantilia mutare ſolitos fuiſſe, hoc eſt ſingulis ferculis. Capitolinus verò apertius innuit convivii dominos menſas mantilibus ſtraviſſe, cùm ſcribit Gallienum Imperatorem aureis mantilibus ſemper ſternere ſolitum fuiſſe. Quod tamen tum in privatâ menſâ intelligi poteſt ab eo ſervatum eſſe; tum in publico convivio ad quod Elagabalus aureum mantile afferebat, ut inquit Lampridius, qui de Alexandro Severo ita ſcribit: *Convivium neque opimum, neque nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit, ita tamen ut*

[illegible] non ut Ariſtophanes Grammaticus ait, Atticos ante cenam κατὰ χειρὸς dixiſſe: cenatos autem ἀπονίψασθαι. ſic enim inquit: σημειωτέον δὲ ὅτι καὶ μετὰ τὸ δειπνῆσαι κατὰ χειρὸς ἔλεγον, οὐχ ὡς Ἀριστοφάνης ὁ Γραμματικὸς φησὶν, ὅτι πρὶν φαγεῖν οἱ Ἀττικοὶ κατὰ χειρὸς ἔλεγον, μετὰ δὲ τὸ δειπνῆσαι τὸ νίψασθαι. & libro IX. notat veteribus antè prandium & cenam dictum fuiſſe κατὰ χειρὸς, cenatis verò & pranſis, ἀπονίψασθαι. Sic enim ait: παρὰ γὰρ τοῖς παλαιοῖς τὸ μὲν περὶ ἀρίστου καὶ δείπνου λέγεσθαι κατὰ χειρὸς, τὸ δὲ μετὰ ταῦτα, ἀπονίψασθαι. Adducit præterea verſus Dromonis ex Pſaltriâ: in quibus narrat ex convivis quidam, ubi pranſi fuiſſent, confeſtim menſas undique ſublatas eſſe: lavandis autem aquam manibus quendam effudiſſe: laviſſe vero convivas, & acceptis roſis ſparſilibus caput ornaſſe. Græci verſus ſunt hi:

> Ἐπεὶ δὲ θᾶττον ἠριστήκοτες ἦμεν, περιεῖλε τὰς τραπέζας.

Νίμ-

Νίμμαθ' ἐπέχει ὕς. ἀπενιζόμεθα. τοὺς
στεφάνους πάλιν δὲ
Σπονδὰς λαβόντες ἐστεφανούμεθα.

Et libro XIV. idem Athenæus profert verſum Ariſtophanis ex Veſpis, in quo poſtulat conviva, ſublatis menſis aquam dari lavandis manibus:

Ὕδωρ κατὰ χειρὸς μετὰ τραπέζας εἰσφέρειν.

Lavabant etiam manus per ſingula fercula, ſive miſſus, ut pluribus locis indicat Lampridius in Elagabalo: *Cùm tantum*, inquit, *biberent per ſingula fercula, & manus, quaſi comediſſent, lavarent*, & paulò poſt. *Ut haberet viginti duo fercula ingentium epularum, & per ſingula lavarent*. De pelvi, quam dicit Varro à pelluendo dictam pelluvium, quòd ſcilicet in eâ pedes lavarent, mihi planè etymon non probat: nam id vocabulum apparet Græcum eſſe, ex iis, quæ ſcribit Pollux libro X. in quo ait πέλυκα dici à Tragicis τὴν λεκάνην. οἱ δὲ Αἰολεῖς, inquit, πέλυκα μάλιστα τὴν ξυλίνην λέγουσιν. Illud certè

tè conſtat, pelvi veteres lavandis pedibus etiam poſt cenam uſos eſſe: quod tum ex aliis, tum ex Plutarchi quodam loco conjicere poſſumus in Pompeio, ubi dicit Favonium Pompeio miniſtraſſe non tantum in cenâ, ſed in pedum quoque lavatione: μέχρι ποδῶν, inquit, νίψεως, καὶ δείπνου παρασκευῆς. Quamvis Plutarchi locus referri etiam poſſit ad eam pedum lavationem, quâ utebantur ante cenam: ut de Ulyſſe refert Homerus quem dicit agnitum ab Eurycliâ in pedum ante cenam lavatione. Pluribus autem menſis Romanos uſos fuiſſe, eaſque ut plurimum, in ternos miſſus, interdum in plures partitos eſſe, indicat Plutarchus in Lucullo, ubi ſcribit, ſoli aliquando cenanti Lucullo, cùm una menſa, & cena parata modica eſſet, accitum ſervum, qui ſuper his erat, objurgaſſe. ubi is cauſatus eſt, nemine vocato, non ratum ſe requiri ab eo aliquem ſplendorem: quid

quid ais, dixiſſe, neſciebas hodie apud Lucullum cenaturum Lucullum? Plutarchi verba ſunt hæc: ἐπεὶ δὲ μόνου δειπνοῦντος αὐτοῦ μία τρέπεζα, καὶ μέτριον παρεσκευάσθη δεῖπνον, ἠγανάκτει, καλέσας τὸν ἐπὶ τούτων τεταγμένον οἰκέτην. τοῦ δὲ φήσαντος, ὡς οὐκ ᾤετο μηδενὸς παρακεκλημένου πολυτελοῦς τινὸς αὐτὸν δεήσεσθαι, τί λέγεις; εἶπεν οὐκ ᾔδεις ὅτι σήμερον παρὰ Λουκούλλῳ δειπνεῖ Λούκουλλος; Primas menſas, quas in plures miſſus dividi ſolitas diximus, auſpicabantur ab ovo. de quâ conſuetudine Porphyrio exponens verſum Horatii ex libro II. Satyrâ II. *Ab ovo uſque ad mala*, ſic ſcribit: *Ab initio cenæ ad finem. Ovum enim hodie initium cenæ, quippe cum in guſtu ſtatim â balneis offeratur, mala autem apud veteres inter cetera ſecundæ menſæ afferebantur.* Varro Endymionibus apud Nonium: *Diſcumbimus muſſati, dominus maturat ova, ac cenam committit.*

Ovum

Ovum quoque Horatius cenæ principium innuit per Catium, illo verſu:

Longa quibus facies ovis erit.

Ut videatur ovum antecena quædam fuiſſe in indice illo, quem poſuit Macrobius cenæ Pontificiæ Metelli, & rectè dici potuiſſe procœmium cenæ, vel ut Græci dicunt, δείπνου προοίμιον apud Athenæum libro IV. Nam id quod Alexis apud eundem Athenæum κεφαλὴν δείπνου dicit, & Cicero *caput cenæ*, intelligendum de eo, quod in cenâ præcipuum dabatur ferculum quod *cenæ caput* dicebatur. Ciceronis verba ex Tuſculanâ V. ſunt hæc: *Negavit ſe jure illo nigro, quod cenæ caput erat, delectatum.* Martialis libro X.

——— *Mullus tibi quattuor emptus*
Librarum, cenæ pompa caputque fuit.

Varro, ut infrà dicetur, à melle primas menſas auſpicatur, quo fortaſſe mul-

mulſum deſignat, de quo ſic Horatius hoc verſu:

Aufidius forti miſcebat mella falerno.

Athenæus à lactucis, cùm inquit: οἱ μέχρι ἀρχαῖοι πάντως περὶ τοῦ δειπνεῖν οὐ προσέφερον οὔτε μήτρας, οὔτε θριδακίνας οὔτε ἄλλο τι τῶν τοιούτων, ὥσπερ νῦν γίνεται. Et ab Horatio in cenâ Naſidieni lactucæ primùm apponuntur. Martialis item à lactucis initium cenæ facit & oxygaro, ut in diſticho.

Claudere quæ cenas lactuca ſolebat avorum,
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?

Idem ab olivis auſpicari ſolitos fuiſſe primas menſas oſtendit in alio diſticho:

Hæc quæ Picenis venit ſubducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit oliva dapes. & alibi:
Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo

Utilis,

Vtilis, & porris fila reſecta ſuis,
Et quæ Picenum ſenſerunt frigus olivæ:
Hæc ſatis in guſtu, cetera noſſe cupis?
Mentiar ut venias, piſces, conchylia, ſumen.

Ut videri poſſit hæc quoque in antecena fuiſſe. Primas menſas excipiebant ſecundæ, & ipſæ aliquando in plures miſſus operis dulciarii, nec non lactarii diſpertitæ, de quibus videndus Valerius Maximus libro II. capite I. Agellius libro XIII. capite II. Macrobius libro III. Athenæus autem libro XIV. Pindari poëtæ teſtimonio probat apud antiquos in uſu fuiſſe ſecundas menſas, cùm inquit: ὅτι γὰρ ἦσαν καὶ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις αἱ δεύτεραι τράπεζαι πολυτελῶς μεμεριμνημέναι, παρίστησι Πίνδαρος ὀλυμπιονίκαις, περὶ τοῦ Πέλοπος κρεουργίας διηγούμενος· τραπέζαισι δ᾽ ἀμφὶ δεύτατα. & poſt: ἐδίδοτο δὲ καὶ ὠὸν ἐν τῇ δευτέρᾳ τραπέζῃ, ὥσπερ καὶ λαγῶα καὶ κίχλαι

χλαι κοινῇ μετὰ μελιπήκτων εἰσεφέροντο.
Et Servius in Virgilianum illud,

——menſæque remotæ;

Duas, inquit, *habebant menſas; unam carnis, alteram pomorum*. Cicero libro XIV. Epiſtolâ ad Atticum. *Hæc*, inquit, *ſcripſi appoſitâ ſecundâ menſâ*. & in Epiſtolâ ad Tironem. *Videor enim videre ementem te res ruſticas, cum villico loquentem, in laciniâ ſervantem ex menſâ ſecundâ ſemina*. Varro de re ruſticâ libro III. capite XVI. *Mel*, inquit, *ad principia convivii, & ad ſecundam menſam miniſtratur*. Lampridius in Alexandro, *Pomis vehementer indulſit, ita ut ſecundæ menſæ illi ſæpius ponerentur*. Virgilius libro II.

Non ego te Diis & menſis accepta ſecundis,
Tranſierim Rhodia &c.

Horatius libro II. Satyrâ II.

——tum penſilis uva ſecundas
Et nux ornabat menſas, cum duplice ficu.

Ovidius Metamorphoſeon libro IX.

—— *Totumque tulit præ divite cornu*
Autumnum, & menſas felicia poma ſecundas.

Martialis libro V.

Menſæ munera ſi voles ſecundæ,
Marcentes tibi porrigentur uvæ,
Et nomen pira quæ ferunt Syrorum.

Iulius Pollux addit præter has tertiam menſam, quam videtur Lampridius innuere, cùm ſcribit in Elagabalo: *Habuit leones & leopardos exarmatos in delitiis, quos edoctos per manſuetarios, ſubitò ad ſecundam & tertiam menſam jubebat accumbere.* Sed hæc ut videtur, raro apponebatur. Homerus autem in Heroum menſis, neque aves, neque piſces, neque poma apponit, ſed nec carnem elixam: quod notat etiam Servius in libro I. Æneidis, cùm inquit: *Heroicis temporibus carne non veſcebantur elixâ.* Unde & Varronem ſcripſiſſe, *Romanis primùm in uſu fuiſſe aſſa, ſecundò*

dò elixa, tertiò jurulenta. Quin etiam, nec unguenta Homerus agnoſcit, nec coronas, ut notat Athenæus libro I. in quo ſcribit Homerum non ignarum unguenti, quænam eſſet vis & gratia, Heroum tamen nullum induxiſſe unguento delibutum, excepto Paride, atque adeò nec ullum quidem coronatum: quamvis tranſlatione ſimili, quid eſſet corona, ſibi compertum fuiſſe oſtendat, cùm ait:

> Νῆσον, τὴν πέρι πόντος ἀπείρητος
> ἐστεφάνωται.

Athenæi verba ſunt hæc: Ὅμηρος δὲ τὴν τοῦ μύρου φύσιν εἰδὼς, οὐκ εἰσήγαγε μύροις ἀλειφομένους τοὺς ἥρωας· πλὴν τὸν Πάριν. ἀλλ' οὐδὲ στεφανωμένους εἰσάγει, καίτοι τῷ ἐκ τῆς μεταφορᾶς ὁμοιώματι σημαίνεται, ὅτι ἤδει τὸν στέφανον. De uſu panis apud antiquos videndus Plinius libro XVIII. capite VIII. Vopiſcus in Tacito ſcribit eum, nunquam panem niſi ſiccum comediſſe, eundemque ſale, atque aliis rebus conditum.

Plinius loco ſupra memorato ſcribit Romanos pulte, non pane, longo tempore uſos fuiſſe. Vnde *Pultiphagus Romanus* dicitur à Plauto in Pænulo, & Moſtellariâ. Verrius autem apud eundem Plinium auctor eſt, populum Romanum farre tantum è frumento trecentis annis uſum eſſe. Piſtores item priſcis illis temporibus apud Romanos non fuiſſe indicat Varro libro I. de vitâ populi Romani apud Nonium: *Cocula*, inquit, *quæ coquebat panem, primùm ſub cinere, poſtea in furno.* & Plinius libro XVIII. capite XI. *Piſtores*, inquit, *Romæ non fuerunt ad Perſicum uſque bellum, annis ab urbe conditâ D. LXXX. Ipſi panem faciebant Quirites, mulierumque id opus erat, ſicut etiam nunc in plurimis gentium. Artoptam Plautus appellat in fabulâ, quam Aulularium ſcripſit, magnâ ob id concertatione eruditorum, an is verſus poëtæ ſit illius: certumque ſit, Ateiì Capitonis ſententia, toſtum panem lautioribus*

ribus coquere ſolitos, piſtoreſque tantum eos qui far pinſebant, nominatos. Legendum autem ex manuſcriptis libris: *Artoptaſiam Plautus in fabulâ, quam Aulularíam inſcripſit* : non enim *artoptam*, qui panem coqueret, ſed *artoptaſiam*, ipſam artem coquendi panem, Plautus dixit. Præterea corrigendum, *teſtu panem lautioribus coquere ſolitos*, non, *toſtum*. Vnde panis teſtaceus dictus, quem Græci clibanitin dicunt, quòd ſub æreo teſtu, ut inquit Plinius libro XXXII. capite VII. hoc eſt, ſub clibano, coqueretur. Cato: *In foco calido, ſub teſtu coquito leviter.* Servius in libro I. Æneidis: *Et quia apud majores noſtros*, inquit, *molarum uſus non erat, frumenta torrebant, & ea in pilas miſſa pinſebant, & hoc erat genus molendi, unde & pinſones dicti ſunt, qui nunc piſtores vocantur.* Cato. tit. XIV. *Paulum latam pilam, ubi triticum pinſant.* M. Varro in Satyrâ de eduliis: *Si quantũ*, inquit, *operæ ſumpſiſti, ut tuus*

piſtor bonum faceret panem. & libro I. de linguâ latinâ. *Pilum quaſi piſum, quod eo far pinſatur: & ubi fit, piſtrinum dictum.* In eo damnati ſervi exercebantur. Terentius Andria:

Cæſum verberibus in piſtrinum te Dave dedam.

Poſtea inſtitutæ molæ jumentariæ, nondum aquariis inventis. Suetonius in Cajo capite XXXIX. *Comprehenſis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis, & piſtrinenſibus jumentis, adeò ut & panis Romæ ſæpè deficeret.* Procopius libro I. ſcribit molas in Tiberi Beliſarium primum conſtruxiſſe. De uſu vini apud Romanos videndus Plinius libro XIV. capite XII. XIII. XIV. XV. Vſi enim ſunt vino partim mero, quod ζωρὸν ſive ἄκρατον Græci dicunt: partim diluto, quod ὑδαρὲς ſive κεκραμμένον vocant. Plutarchus Sympoſiacon libro III. tres mixtionis modos tribus muſicalibus conſonantiis ſimiles tradit: hemiolium, cùm tribus aquæ parti-

partibus duæ vini adduntur: diateſſaron, cùm tribus aquæ, una vini: diapaſon, cùm una vini duabus aquæ. Ad διὰ τεσσάρων autem mixtionem reſpexit Heſiodus cùm cecinit libro II.

Τρὶς ὕδατος προχέειν, τὸ δὲ τέτρατον ἱέμεν οἴνου.

Quam mixtionem Palamedis inventum dicit Ion poëta apud Athenæum, cùm inquit:

Εὑρὼν ὁ μάντις ὁ Παλαμήδης ἐμαντεύσατο

Πλοῦν ἔσεσθαι τοῖς Ἕλλησι πίνουσι τρεῖς

Πρὸς ἕνα κυάθους.

Miſcere autem dixit Tibullus libro II. elegiâ I. pro eo quod temperare alibi dicit elegiâ VII. ejuſdem libri, cùm ait:

Miſtaque ſecuro eſt ſobria lymphâ mero.

&:

Temperat annoſum Marcia lympha merum.

Varias autem vini & aquæ mixtio-

nes refert Athenæus libro x. adductis veterum poëtarum teſtimoniis, ex quibus nos pauca proferemus: nempe Archippi, qui in poſteriore Amphitruone par pari miſcet, hoc verſu:

*Τίς ἐνέχεε σφῶν ὦ κακόδαιμον ἴσον
ἴσῳ;*

Item Menandri in Heroe, qui tribus aquæ partibus unam addit vini. ſic enim ait:

*Καί τοι πολύγ' ἐθ' ἥδιον, οὐκ γὰρ ἂν πότε
Ἔπινον τρεῖς ὕδατος, οἴνου δ' ἓν μόνον.*

Item Alexidis in Tethye, qui quattuor vini partibus unam aquæ miſcet. ait enim.

*Ἰδοὺ πάρεστιν οἶνος, οὐκοῦν ἐγχέω.
Κρείττωνα, πολὺ βέλτιον ἕνα καὶ τέτταρας.*

Item Dioclis in Apibus, qui quattuor vini partibus duas aquæ addit, cùm ait.

*Πῶς δὴ κεκραμμένον πίνειν τὸν οἶνον
δεῖ με; τέτταρα καὶ δύο.*

Item Nicocharidis in Amymone,
qui

qui quinque vini partibus duas aquæ miſcet. ſic enim inquit.

Οἰνόμαος οὗτος χαῖρε, πέντε καὶ δύο.

Item Anacreontis, qui cyathis quinque vini duo aquæ addit.

Αγε δὴ φέρ' ἡμῖν ὦ παῖ
Κελέβην, ὅπως ἄμυστιν
Προπίω τὰ μὲν δύ' ἔγχει
Υδατος, τὰ πέντε δ' οἴνου
Κυάθους ὡς ἂν ὑβριστῶσαν

Modus autem vini & menſura apud Romanos varia itidem erat pro cujuſque naturâ. Quin & Magiſter etiam bibendi, de quo infrà dicetur, modum ipſum vini, & menſuram præſcribebat. S. Ambroſius libro de Eliâ & jejunio capite XIII. *Ac ne immoderatum*, inquit, *hoc arbitreris, menſura proponitur, certatur ſub judice, ſub lege decernitur agonothetis* &c. Ei verò, qui uno hauſtu poculum hauſiſſet, hoc eſt ἀμυστὶ, acclamabant ζήσειας, ut docet Suidas: & infra ex Dione oſtendemus. Martialis libro VI.

O 5 *Poto*

[illegible] ego ſextantes : tu potas Cinna deunces.

Vbi ſextantem pro duobus, deuncem pro undecim cyathis poſuit & de Luſco ad Aulum :

Potator nobilis, Aule, lumine uno
Luſcus Phryx erat, alteroque lippus.
Huic dicit medicus, bibas caveto
Vinum, ſi biberis, nihil videbis.
Ridens Phryx oculo, valebis, inquit :
Miſceri ſibi protinus deunces,
Sed crebros jubet. exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

& libro III. trientem pro quattuor vini cyathis poſuit, cùm ait :

Candida Setini rumpant cryſtalla trientes.

& in Apophoretis :

Setinos moneo noſtrâ nive frange trientes.

Perſius Satyrâ III.

Sed tremor inter vina ſubit, calidumque trientem.

Suetonius in Auguſto capite LXXVII. ſcribit eum non ampliùs ter bibere ſoli-

ſolitum fuiſſe, & ſi quando laxiſſimè ſe invitaret, ſenos ſextantes non exceſſiſſe. Vopiſcus autem tradit Tacitum parciſſimæ vitæ fuiſſe, ita ut ſextarium vini totâ die nunquam potaverit, ſæpe intra heminam. Contra Capitolinus de Maximino ſeniore, de quo ſic ait: *Bibiſſe autem illum ſæpe in die vini Capitolinam amphoram conſtat: comediſſe &* XL. *libras carnis, ut autem Cordus dicit etiam* LX. *quod ſatis conſtat.* Ex locis autem ſuprà citatis intelligere poſſumus, ſextantes potare ſolitos fuiſſe eos, qui imbecilli corpore fuiſſent: deunces, qui bibaces eſſent, & nimium vini appetentes: trientem, communem omnium menſuram fuiſſe. De numero autem poculorum notum eſt illud Æſopi, qui dicebat tres eſſe vini mixtiones, primam voluptatis, ſecundam ebrietatis, tertiam contumeliæ, vel, ut dicebat Anacharſis, mœroris. Ο Διόνυσος, referam Græcè, τρεῖς κέκτηται κράσεις οἴνου,

τὴν μὲν πρώτην ἡδονῆς, τὴν δὲ δευτέραν μέθης· τὴν δὲ τρίτην ὕβρεως. & Apuleius in Floridis ait quattuor eſſe vini crateras quarum prima ad ſitim pertineat, ſecunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad inſaniam. Horatius loco ſupra citato.

—— tribus aut novem
Miſcentur cyathis pocula commodis.
Qui Muſas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates: tres prohibet ſuprà
Rixarum metuens tangere Gratia.

Auſonius:

Ter bibe, vel toties ternos, ſic myſtica lex eſt,
Vel tria potandi, vel ter tria multiplicandi.

Fuit autem aliquibus mos tot cyathos bibere, quot fuiſſent litteræ in amici, vel amicæ nomine, cui biberent. Martialis libro I.

Nævia ſex cyathis, ſeptem Iuſtina bibatur

Quin-

Quinque Lycea, Lyde quattuor,
Ida tribus.

Item quot manus digitos haberet. Plautus Sticho :

Sag. Vide quot cyathos hos bibimus.
Si. Tot, quot digiti ſunt tibi in manu.
Cantio Græca eſt, ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία πίνειν, ἢ μὴ τέτταρα.
Tibi propino decuma fonte., tibi tute inde, ſi ſapis.

Liberalibus apud Romanos moris fuit tot cyathos bibere, quot alicui annos precabantur. Ovidius libro III. Faſtorum.

Sole tamen, vinoque calent, annoſque precantur,
Quot ſumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic qui Neſtoris ebibat annos,
Quæ ſit per calices facta Sibylla tuos.

Panyaſis autem Epicus, de numero item poculorum apud Athenæum differens, primùm dicit dica-

tum

tum eſſe Χάρισιν, Ὥραις, καὶ Διονύσῳ: ſecundum Ἀφροδίτῃ καὶ πάλιν Διονύσῳ. tertium ὕβρει καὶ ἄτῃ. Eubulus item apud eundem Athenæum libro XI. de numero poculorum ita diſputat in eo carmine, in quo inducit Bacchum loquentem:

Τρεῖς γὰρ μόνους κρατῆρας ἐγκεραννύω
Τοῖς εὐφρόσιν, τὸν μὲν ὑγιείας ἕνα,
Ὃν πρῶτον ἐκπίνουσι. τὸν δὲ δεύτερον
Ἔρωτος, ἡδονῆς τε· τὸν τρίτον δ' ὕπνου,
Ὃν εἰσπιόντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι
Οἴκαδε βαδίζουσιν. ὁ δὲ τέταρτος
Οὐκέθ' ἁμέτερός ἐστ', ἀλλ' ὕβρεως.
Ὁ δὲ πέμπτος βοῆς, ἕκτος δὲ κώμων.
Ἕβδομος δ' ὑπωπίων, ὄγδοος κλή-
τορος.
Ὁ δ' ἔνατος χολῆς, δέκατος δὲ μα-
νίας, ὥστε καὶ βάλλειν
Ποιεῖ, πολὺς γὰρ εἰς μικρὸν ἀγγεῖον
χυθεὶς
Ὑποσκελίζει ῥᾷστα τοὺς πεπωκότας.

Et hæc ſatis ſuperque de numero poculorum. Bibebant autem modo pro ſalute Imperatoris, ut indicat

Dio

Dio Caſſius, qui Auguſto inter alios hunc quoque honorem decretum ait, ut pro ſalute ejus in conviviis biberent. & S. Ambroſius libro de Heliâ & jejunio capite VII. his verbis: *Quid autem obteſtationes potantium loquar? Quid memorem ſacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro ſalute Imperatorum, & qui non biberit, ſit reus in devotione.* Modò propter felices amicorum ſucceſſus, ut Horatius libro III. ode. XIX.

Da Lunæ properè novæ,
Da noctis mediæ, da puer Auguris
Murænæ, &c.

Ad quem locum reſpexit Auſonius, cùm inquit: *Sed illa de Flacci eclogâ in quâ propter mediam noctem, & novam Lunam, & Murænæ Auguratum ternos cyathos attonitus petit vates.* Bibebant etiam in amicorum gratiam abſentium, ut ex multis Scriptorum locis intelligimus. Theocritus Idyl. XIII.

Ηδη δὲ περιϊόντος ἔδοξ' ἐπιχεῖσθαι
ἄκρατον
Ωλιν@ ἤθελ' ἕκαστος· ἔδει μόνον φίλι-
νος εἰπεῖν.

Tibullus libro II. elegiâ I.

Sed bene Meſſalam ſua quiſque ad
pocula dicat,
Nomen & abſentis ſingula verba
ſonent.

Miniſtrabantur autem pocula à ſummo ad infimum, initio facto ab uno ex convivis, qui in ſummo accumberet, & in orbem circumlato poculo ad eum qui in imo lecto diſcumberet. quod Athenæus dixit ἐν κύκλῳ πίνειν, Pollux τὰς κύλικας ἐν κύκλῳ ἐπελαύνειν. Plautus Moſtellariâ:

Interim da ab Delphio citò cantharum circum.

& in Perſâ:

——— *age puere*
A ſummo ſeptenis cyathis committe
hos ludos.

& in Aſinariâ:

Da.

Da puere ab ſummo, age tu interibi
ab infimo da ſuavium.

& rurſus in Perſâ:

Age circumfer mulſum, bibere da
uſque plenis cantharis.

Cicero in Catone: *Et is ſermo, qui more majorum à ſummo adhibetur in poculis.* Varro libro IV. *Præterea in poculis erant pateræ, eo quòd pateant làtius, ſic dictæ:* (ſive ut eſt in V. C. *ab eo quòd pateant, Latini ita dicunt.*) *Hiſce etiam nunc in publico convivio antiquitatis retinendæ cauſâ, cum magiſtri fiunt, potio circumfertur.* Inter potandum verò moris fuiſſe, ut convivæ prægustatum poculum alter alteri porrigeret: conſtat primùm ex Homero in Iliadis IX. qui ait:

Πλησάμενος δ' οἴνοιο δέπας δείδεκτ'
Ἀχιλῆα.

quem locum exponens Athenæus libro XIV. dicit: πληρουῦντες γὰρ προέπινον ἀλλήλοις μετὰ προσαγορεύσεως. & paulò poſt apertius oſtendit quid ſit προπίνειν hoc exemplo: Ἀλέξανδρος

οἴνου αἰτήσας ποτὲ ποτήριον δίχουν, καὶ πιὼν, προὔπιε τῷ Πρωτέᾳ. Plautus Gurgulione:

Propino militi magnum poculum: ille ebibit.

Juvenalis Satyrâ v.

—— quando propinat
Virro tibi, ſumitque tuis contacta labellis
Pocula —— &c,

Martialis:

Qui nulli calicem tuum propinas.

Suetonius in Tiberio capite XIII. *Ignotiſſimum Quæſturæ candidatum nobiliſſimis antepoſuit ob epotam in convivio propinante ſe vini amphoram.* Apuleius libro x. præbibere dixit, quod Græci προπίνειν, cùm inquit: *Heu puer lautum diligenter ecce illum lautum cantharum mulſo contempera, & affer paraſito meo, ſimul quod ei præbiberim, commoneto.* Formula quâ in propinationibus utebantur, apparet ex Plauto hujuſmodi quædam fuiſſe, in Perſâ;

Pægnium

Pægnium tardè cyathos mihi das: cedo ſanè,
Benè mihi, benè vobis, benè amicæ meæ.

Libaſſe vero Diis ex Homero conſtat, hoc verſu,

Θεοῖσι σπείσαντες μακάρεσσι πίον μελιηδέα οἶνον.

& ex Virgilio, apud quem libat Dido hoc verſu:

Dixit, & in menſâ laticum libavit honorem.

Majoribus autem poculis veteres potare dicebantur, cùm convivarum lætitia aliquantulum proceſſiſſet, dicebantque τὴν μείζονα αἰτεῖν, ſcilicet κύλικα Sophilus apud Athenæum libro x.

Συνεχὴς ἄκρατος ἐδίδοτο ἴσον ἴσῳ, πάλιν τε μείζον' ᾔτησεν. Alexis: οὐ συμποσίαρχος ἦν γὰρ, ἀλλὰ δήμιος ὁ Χαιρέας κυάθους προπίνων εἴκοσιν ἴσον ἴσῳ, πάλιν τὴν μείζον' ᾔτει. Ad quem morem reſpexiſſe videtur Cicero, cùm ſcripſit in Verrem: *Fit ſermo inter*

eos

eos & invitatio, ut Græco more biberetur: hoſpes hortatur: poſcunt majoribus poculis: Utebantur autem veteres vino refrigerato, ut conſtat tum ex aliis, tum ex Dione, qui ſcribit Commodum vini refrigerati poculum in medio certamine feſſum capere uno hauſtu ſolitum: Γλυκιὼ οἶνον, inquit, ἐψυγμένον λαβὼν ἀμυστί. Utebantur item ſacco vinario, ut merum liquidius potarent. Martialis libro XII.

—— & ut liquidum potet alauda merum,
Turbida ſollicito tranſmittere Cæcuba mero,
Atque inter menſas ire redire ſuas.

Sacci vinarii meminit Plinius libro XXIV. ubi de polentâ nitroſæ aut amaræ aquæ. Aquâ etiam utebantur nivibus refrigeratâ, ut ex Martialis verſibus apparet, in quibus ſic eſt:

Non potare nivem, ſed aquam potare rigentem

De

De nive commenta eſt ingenioſa
ſitis.

& libro XI.

Nec niſi poſt niveam Cæcuba potat
aquam.

Alexis apud Athenæum: Καὶ χιόνα μὲν πίνειν παρασκευάζομεν.

Juvenalis:

Frigidior Geticis petitur decocta
pruinis.

Plinius: *Hi nives, illi glaciem potant, venaſque montium in voluptate gulæ vertunt: ſervatur algor æſtibus, cogitaturque ut alienis menſibus nix algeat: decoquunt alias, quas mox & illas hiemant.* & libro XXXI. capite III. *Neronis principis inventum eſt decoquere aquam, quam vitro demiſſam in nives refrigerabat.* Inde Suetonius in Nerone capite XLVIII. ſic ſcribit: *Aquam ex ſubjectâ lacunâ potaturus manu hauſit: Et hæc eſt,* inquit, *Neronis decocta* &c. *aquæ autem tepidæ aliquantum bibit.* Colum autem dicebatur vas vinarium, quo aqua ex nivi-

nivibus colari ſolebat. Martialis:

Attenuare nives norunt & lintea noſtra,
Frigidior colo non ſalit unda tuo.

Aquâ etiam utebantur calefactâ, ut ex Scriptoribus conſtat. Horatius:

Quis aquam temperet ignibus?

Varro libro IV. de linguâ latinâ. *Calix à caldo: quod in eo calida puls apponebatur, & caldum in eo bibebant.* Plinius libro XXVIII. capite IV. *Notandum nullum aliud animal præter hominem calidos potus ſequi, ideoque non eſſe naturales.* Tacitus libro XIII. *Innoxia adhuc, & præcalida potio.* Apuleius libro II. *Commodum cubueram, & ecce Fotis mea, jam domina cubitum reddita, jacta proximat roſæ ſerta, & roſa ſoluta in ſinu tuberante, ac me preſſim deoſculato, & corollis revincto, & flore proſperſo, arripit poculum, ac deſuper aquâ calidâ injectâ, porrigit, bibam, idque modicum priuſquam totum exorberem, clementer invadit.*

Juve-

Juvenalis Satyrâ v.

Quando vocatus adeſt gelidæ calidæque miniſter.

& Martialis libro I.

Jam defeciſſet portantes calda miniſtros.

& libro VI.

Et potet calidam qui mihi laudat aquam.

& libro VIII.

Caldam poſcis aquam, ſed nondum frigida venit.

Alget adhuc nudo clauſa culina foco.

& libro XII.

Et nimium calidis non vitiantur aquis.

& libro XIV.

Frigida non deſit, non deſit calda petenti.

Epicharmus item apud Athenæum libro XIV. aquam tepidam poſtulat ſibi dari, quam bibat, cùm inquit:

Καὶ πιεῖν ὕδωρ διπλάσιον χλιαρὸν ἡμίνας δύο.

Hinc

Hinc Tiberius Claudius Nero Imperator dictus per jocum Biberius Caldius Mero, à frequenti calidæ aquæ potione. Ammianus Marcellinus libro XXVIII. *Ampelius*, inquit, *Urbi præfectus ſtatuerat ne aquam calidam calefaceret quiſquam*. & poſt: *Si aquam calidam tardius attulerit*, Claudius Imperator edicto vetuit, ne aqua calida venderetur. Dio libro LVIII. τά τε καπηλεῖα ἐς ἃ συνιόντες ἔπινον, κατέλυσε, καὶ προσέταξε μήτε κρέας τι ἑφθὸν, μήθ' ὕδωρ θερμὸν πιπράσκεσθαι, καί τινας ἐπὶ τούτῳ μὴ πειθαρχήσαντας ἐκόλασεν. Quin & C. Caligula, eodem Dione referente, eum necari juſſit, qui in funere Druſillæ calidam aquam vendidiſſet. πωλήσαντα γὰρ, inquit, θερμὸν ὕδωρ ἀπέκτεινεν ὡς ἀσεβήσαντα. Locus autem in quo aqua calida vendebatur, Thermopolium à Plauto dicitur in Curculione:

Quos ſemper videas bibentes in Thermopolio.

& in

& in Trinummo:

——ſatin in Thermopolio
Condalium es oblitus, poſtquam thermopotaſti gutturem.

Aqua calida miſcebatur etiam vino, ut conjici poteſt ex verſibus Martialis:

Me conviva leget miſto quicunce, ſed ante
Incipiat poſitus, quàm tepuiſſe calix.

& apertius ex Plauti Curculione:

Ubi quid ſurripuere, operto capitulo calidum bibunt,
Triſtes atque ebrioſi incedunt.

Vas autem ad parandam aquam calidam, miliarium dicebatur. Athenæus libro II. τὸ μιλιάριον καλούμενον ὑπὸ Ῥωμαίων, τὸ εἰς θέρμου ὕδατος κατεργασίαν κατασκευαζόμενον. Horatius verò ahenum videtur dixiſſe vas id, quod aquæ calefaciendæ comparabatur, cùm inquit. Epiſtolarum libro II.

——emptis.

*Sub noctem gelidam lignis calefa-
ctat ahenum.*

Mos autem fuit in conviviis, talorum jactu unum aliquem creare, qui præſcriberet modum cenæ, & quantum quiſque, & quomodo temperatum, ut diximus, biberet vinum. Hic, Rex convivii à Tacito dicitur in Nerone, & Sidonio libro IX. epiſtolarum his verbis: *Meis quoque contubernalibus dum rex*, inquit, *convivii circa ordinandum moras nectit oxygarum* &c. Modiperator à Varrone libro XX. Rerum humanarum citante Nonio, his verbis: *In conviviis qui ſunt inſtituti potandi modiperatores* (nam vox *magiſtri* gloſſema eſt verbi *modiperatores.*) Inde Cicero in Catone: *Me verò & Magiſteria delectant à majoribus inſtituta, & is ſermo, qui more majorum à ſummo adhibetur in poculo:* Lampridius in Elagabalo: *Præfectum Urbicum,* (vel fortè *Urbi*) *ſæpe poſt cenam ad potandum vocabat, adhibitis & Præ-*

fectis

ſectis Prætorio, ita ut ſi recuſarent, Magiſtri eos cogerent. Dictator à Plauto, qui dicebatur ipſa tantum coronæ impoſitione, ut eſt apud eum in Perſâ:

Do hanc tibi florentem florenti, tu
ſic eris Dictatrix nobis.

Dominus convivii à Varrone apud Agellium libro XIII. capite II. & Nonio. Item Strategus à Plauto rurſus in Perſâ:

Strategum te facio huic convivio.

Cenæ pater ab Horatio libro II. Sermonum Satyrâ VIII.

Inprimis Lucanus aper leni fuit auſtro
Captus, ut ajebat cenæ pater —

Parochus ab eodem ibidem:

Tum parochi faciem nil ſic timentis ut acres
Potores —

& Convivator, cùm inquit:

Sed convivatoris uti ducis &c.

Seneca libro I. de irâ: *Minus honorato loco poſitus iraſci cœpiſti convivatori*

tori &c. Magiſter cenæ à Martiale libro XII.

Convivas alios cenarum quære Magiſter.

Catullus:

Ingere mi calices amariores.
Ut lex Poſtumiæ jubet Magiſtræ.

Cicero in Verrem: *Iſte enim Prætor ſeverus ac diligens, qui populi Romani legibus nunquam paruiſſet, illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur, parebat.* Græci συμποσίαρχον, ſive βασιλέα dixerunt. Plutarchus Apophthegm. Αγησίλαος δὲ πότον ποτὲ λαχὼν συμποσίαρχος. Idem, ut opinor, dicebatur à Græcis ὀνοματοκλήτωρ, cujus munus erat ſuum unicuique gradum & ordinem in cenâ aſſignare, ut ſcribit Athenæus libro II. adducto Alexidis teſtimonio, qui ait: μετὰ ταῦτα ἀναστάντες κατεκλίθημεν, ὡς ἕκαστος ἤθελεν οὐκ ἀναμείναντες ὀνοματοκλήτορα τὸν τῶν δείπνων ταξίαρχον. Nominatur & ἑστιάτωρ ab eodem Athenæo libro II. Cui ubi con-

vivæ

vivæ accubuiſſent tabella dabatur inſtar indicis cenæ Pontificiæ Metelli apud Macrobium libro III. capite XIII. in quâ omnium ferculorum nomina deſcripta erant, ut ſciret, quod nam obſonium eſſet coquus allaturus: ἔθος ἦν, inquit, ἐν τοῖς δείπνοις τῷ ἑστιάτορι συγκληθέντι προδίδοσθαι γραμματίδιόν τι περιέχον ἀναγραφὴν τῶν παρεσκευασμένων, ἐφ᾽ ᾧ εἰδέναι, ὅ, τι μέλλοι ὄψον φέρειν ὁ μάγειρος. Talorum autem jactu creari ſolitos, & interdum ipſâ tantum coronæ impoſitione, indicat Plautus verſu ſupra prolato, & Horatius libro I. ode IV.

Nec regna vini ſortiere talis.

& libro II. ode VII.

Quem Venus arbitrum dicet bibendi?

Porrò miniſtri Tricliniares nominantur in veteribus apud me marmoreis monumentis, Structor, qui τραπεζοκόμος ab Athenæo dicitur, cujus erat, ut inquit Virgilius,

cura penum inſtruere. & de quo Martialis libro x.

Et quæ non egeant ferro Structoris Ofellæ.

Structoris ſervi munus deſignat Seneca libro VI. epiſtolâ XLVII. ad Lucilium, cùm inquit: *Alius pretioſas aves ſcindit, & per pectus, & clunes certis ductibus circumferens eruditam manum, & in fruſta excutit.* & libro de Brevitate vitæ: *Quàm videam,* inquit, *quàm ſuſpenſi ſint, quomodo aper à coquo cæſus exeat, quantâ celeritate ſigno dato gladii ad miniſteria decurrant, quantâ arte ſcindantur aves in fruſta non enormia.* Sed apertius indicat Juvenalis non modo Structoris officium, ſed ipſam etiam ſtructoriam artem, quæ obſonia ſcindendi præcepta daret. Sic enim ait Satyrâ XI.

—— quin ipſa manubria cultellorum
Oſſea: non tamen his ulla unquam obſonia fiunt

Ranci-

Rancidula, haud ideo peior gallina ſecatur.
Sed nec Structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, diſcipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus,
Et Scythicæ volucres, & Phœnicopterus ingens,
Et Gætulus oryx, hebeti lautiſſima ferro
Cæditur, & tota ſonat ulmea cena Suburra.

& Satyrâ v.

Structorem interea (ne qua indignatio deſit)
Saltantem ſpectas, & chironomunta volanti
Cultello, donec peragat dictata magiſtri
Omnia: nec minimo ſane diſcrimine refert,
Quo geſtu lepores, & quo gallina ſecetur.

In antiquâ inſcriptione habetur: MAMA STRVCTOR. Servus Tricliniarcha, qui & Architriclinus, habetur in hac inſcriptione: BLICIO ABORTENNIO TRICLINIARCH. item in hac: M. ULPIO AVG. LIB. PHÆDIMO DIVI TRAIANI AVGVSTI TRICLINIARCH. Servus Tricliniarius in hac: SEX POMPEIO VOLESSIGO SEX. POMPEI. SER. TRICLINIAR. Prægustator in hac: TI. CLAVDIVS FLAMMA CLAVSVS TI. AVG. PRÆGVSTATOR. Hic à Græcis προγεύστης dicebatur, ut ſcribit Athenæus libro IV. in quo docet Eleatros vocatos fuiſſe προγεύστας: id eſt Prægustatores: ſic dictos, quòd ut à veneno reges ſecuri tutique ſint, de illorum cibis non nihil prius mandunt, & guſtant. Prægustabant autem in menſâ, quam Guſtatorium appellat Martialis in Apophoretis. Suetonius autem ſcribit epulanti Claudio Imperatori venenum datum per ſpadonem Prægustatorem. Servi ab argento potorio. item

item ad argentum potorium, item à potione nominantur in his inſcriptionibus: ANTHVS AD ARGENTVM POT. L. CÆSARIS. &: VIBIÆ SVCCESSÆ LIVIÆ AVG. SER. AB ARGENTO POTORIO. &: PARTHENIVS CÆSARIS N. AB ARGENTO POTORIO. &: TI. CLAVD. AVG. LIB. GRATIO LIVIÆ AVG. SER. A POTIONE. &: SEXTIVS PACCIVS SEX. POMPEI A POTIONE. à Catullo dicitur:

Miniſter vetuli puer falerni

& ab Horatio Carminum libro 1.

Puer quis ex aulâ capillis
Ad cyathum ſtatuetur unctis?

Qui alio nomine à Livio, & Plinio Pocillator, ab Auſonio, Pincerna, Græcè οἰνοχόος appellatur. Dicebatur etiam Servus à Laguna, ut in hac inſcriptione: M. VLPIO. AVG. LIB. PHÆDIMO DIVI TRAIANI AVG. A LAGVNA. Item ſervus Corinthiarius, & à Corinthis in his: TI. LAIVS PARATVS A CORINTHIS. &: CAPTVS A CORINTHIS. &: CALLITYCHÆ ZOILI CORINTHIAR. AGRIPP. Servus ab au-

ro eſcario nominatur in his : M. VLPIO ERIDANO AVG. LIB. AB AVRO ESCARIO. & : CAMVS AVG. LIB. PRÆP. AVRI ESCARI. Miniſtratores nominantur in his: JVLIA LOGAS AMARANTHI AVGVSTI MINISTRATORIS TVRRANIANI. & : ERASTVS CÆSAR. MINIST. & : ANSIO CÆSAR. MINISTRATOR. Servus piſtor in hac : FAVSTVS PISTOR TI. GERMANICI SER. Piſtor autem indicatur vel Dulciarius, vel certè lactarius : alter à conficiendis dulciis, ſive mellitis, quæ Græci μελίπηκτα dicunt : alter ab opere lactario vocatus : nam ſcribit Lampridius de Elagabalo, eum aliâ die tantum de dulciis, aliâ de opere lactario cenitaſſe. & Apuleius refert Piſtorem dulciarium è convivio reportaſſe reliquias largiſſimas, panes, cruſtula, placentas, edulia mellita, operiſque piſtorii. & libro X. *At illorum*, inquit, *alter Piſtor dulciarius, qui panes & mellita concinnabat edulia*. ex Lucianò, qui ait : ἄρτους πέττειν καὶ μελίπηκτα κιρνᾶν ἐπιστάμενον.

Obſo-

Obſonator dicebatur ὁ τὰ ὄψα ὠνούμενος. ut eſt apud Athenæum libro XIV. & idem ὀψώνης vocabatur, & ἀγοραστὴς· de quo ſic Martialis:

Dic quotus es, quanti cupias cenare, nec unum
Addideris verbum, cena parata tibi eſt.

Coquos Romani priſcis temporibus non habebant domi, ſed conducebant ex macello, ut ex Plauti Aulularià intelligimus, in quà eſt:

Poſtquam obſonavit herus, & conduxit coquos,
Tibicinaſque haſce apud forum. —

Itaque ab eodem Plauto malus coquus, dicitur coquus nundinalis, quòd non cotidie, ſed nono tantum quoquo die ex macello conducebatur, ut Feſtus notat. Plinius libro XVIII. capite XI. *Nec coquos verò habebant in ſervitiis, eoſque ex macello conducebant.* Ancillæ verò, ut ex Plauti Mercatore apparet, cotidie cibum familiæ coquebant. Poſtea pri-

vatos coquos domi habere cœperunt, ut indicat Martialis illo verſu:

Nam coquus domini debet habere gulam.

Idem Plautus nominat in Pſeudolo Forum coquinum hoc verſu:

Forum coquinum qui vocant, ſtultè vocant:
Nam non coquinum eſt, verùm furinum eſt forum.

Coquum Poſidippus poëta apud Athenæum libro IX. comparat Imperatori, cùm inquit:

Ἀγαθοῦ στρατηγοῦ διαφέρειν οὐδὲν δοκεῖ.

& Plautus:

Sis tu in legione bellator, ſi vis: at ego in culinâ Ares.

Servi ATRIENSES multi nominantur in veteribus inſcriptionibus. Videndum autem an inter eos numerentur qui in atriis, ubi priſcis temporibus cenitabant, ſupellectilem ſervabant convivalem, quique in antiquis inſcriptionibus SERVI A SUPELLECTILE dicuntur. Veteres enim in atriis, hoc

hoc eſt in culinâ, vel prope culinam cenitaſſe, apparet ex eo quod ſcribit Servius, culinas fuiſſe in illâ ædium parte, quæ atrium dicebatur, unde à fumi nigrore nomen factum eſſe atrio. Inde Cicero in Piſonem: *Cui idem erat coquus & ſervus Atrienſis.* Miniſtros autem Tricliniares linteis ſuccinctos miniſtraſſe, ex loco Senecæ ſuprà citato intelligere poſſumus, & ex iis, qui infra ponentur. Apud Senecam quidem erat ſic: *Ad hoc præſtò aderit miniſtrorum ornatiſſimorum turba linteis ſuccincta &c.*
Horatius:

—— veluti ſuccinctus curſitat hoſpes.
Continuatque dapes, nec non vernaliter ipſis
Fungitur officiis ——

& libro I. Satyrâ VIII.

Vidi egomet nigrâ ſuccinctam vadere pallâ
Canidiam &c. ——

& libro II. Satyrâ ultimâ:

His

His ubi ſublatis, puer altè cinctus acernam
Gauſape purpureo menſam perterſit ——

Ovidius:

Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter.

Apuleius libro XI. *Fotis lineâ tunicâ mundulè amicta, & ruſſeâ faſciolâ prænitente altiuſculè ſub ipſas papillas ſuccinctula, illud cibarium vaſculum floridis manibus rotabat in circulum.* De vaſis menſæ vinariæ & eſcariæ videndus Varro libro IV. de linguâ latinâ. Nos aliqua & illa inſigniora ponemus, ſi prius de eorum uſu apud veteres Romanos pauca dixerimus. Nam priſcis illis temporibus uſi ſunt vaſis fictilibus ut apparet ex iis, quæ ſcribit Plinius libro XXXIII. capite XI. de veterum frugalitate in ſupellectili convivali. *Catum*, inquit, *Ælium cùm legati Ætolorum in Conſulatu prandentem in fictilibus adiſſent*, &c. & libro XXXV. capite XII. *Major*

jor quoque pars hominum terrenis utitur vaſis. Samia etiamnum in eſculentis laudantur. Retinet hanc nobilitatem & Aretium in Italiâ. Inde Martialis in Apophoretis.



Aretina

Aretina Nimis ne ſpernas vaſa monemus:
Lautus erat Tuſcis Porſena fictilibus.

Illud autem, *Nimis*, apud Martialem, pro artificis nomine, qui egregia vaſa faceret, poſitum eſſe facilè mihi perſuadet vas fictile repertum Aretii, cum inſcriptione NIMIS: ut conjici poſſit nomen id fuiſſe artificis. Appellari enim vaſa ſolita eſſe ab artificibus oſtendunt Thericlea, & quod ait Juvenalis:

—— *auctoris nomen habentem.*

***

Idem aut certè non diſſimile vaſis genus eſt, quod expreſſit Aldrovandus Muſæi Metallici libro II. *cujus iconem hic ſubjecimus, idque non tam antiquitatis gratiâ, & quia maximus quondam iſtiusmodi vaſorum in eſculentis uſus fuit, quàm quod* Urſini *ſuper hoc Martialis loco conjectura non parum eâ ratione mihi firmari videbatur.*

**

Deinde ex ære fieri cœpiſſe apparet ex iis, quæ ſcribit Tertullianus in libro

libro de habitu mulieris: *Inter alia*, inquit, *& anuli ferro fiunt: Quædam eſui & potui vaſcula ex ære adhuc ſervat memoria antiquitatis.* Poſtremò creſcente luxu argentea & aurea fieri cœperunt. Plinius libro XXXIII. capite XI. *Vaſa coquinaria ex argento Calvus orator fieri queritur.* & capite XII. *Fabricius qui bellicoſos Imperatores plus quam pateram & ſalinum ex argento habere vetabat.* Vopiſcus in Tacito ſcribit eum dedicaſſe argentum menſale, quod privatus habuerat, conviviorum miniſteriis, quæ fierent in templis Deorum. Hæc moris fuit, ut ab eo qui cenam daret, in abacis de quibus diximus ſupra, ad exornandum triclinium exponerentur. Cicero in Verrem lib. IV. *Ludis Circenſibus manè apud L. Siſennam virum primarium, cùm eſſent triclinia ſtrata, argentumque expoſitum in abacis* &c. & paulò poſt: *ab hoc abaci vaſa omnia, ut fuerant expoſita, abſtulit.* Idem Cicero eodem libro, de convivio à Verre

Verre exhibito Antiocho regi: *De-inde ipſum regem ad cenam vocat: exornat amplè, magnificèque triclinium: exponit ea, quibus abundabat, plurima ac pulcherrima vaſa argentea: namque hæc aurea non dum fecerat omnibus, curat rebus inſtructum & paratum ut ſit convivium: quid multa? rex ita deceſſit, ut & iſtum copioſè ornatum, & ſe honorificè acceptum arbitraretur. Vocat ad cenam deinde ipſe Prætorem, exponit ſuas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quæ ut mos eſt regius, & maximè in Syria, gemmis erant diſtincta clariſſimis. Erat etiam vas vinarium ex una gemma prægrandi trulla excavata cum manubrio aureo.* In veteribus autem marmoribus inter alia vaſa eſcaria habetur patina, quâ utebantur & ferculi vice, & ad coquendum pulmentarium. Plinius libro XXIII. *Decoquitur*, inquit, *in patinis cum ſale & adipe*, &c. Horatius libro II. Sermonum.

Affer-


pag. 374

Aſſertur ſquillas inter murænа natantes
In patinâ porrectâ. &c.
Plinius libro & capitè ſupra citato: *Atque ut in luxu quoque aliqua auctoritas contingat figlinis, tripatinum, inquit Feneſtella, appellabatur ſumma cenarum lauticia. Vna erat murænarum: altera luporum: tertia myxeos piſcis, inclinatis jam ſcilicet moribus, ut tamen eos præferre Græciæ etiam philoſophis poſſimus. Siquidem in Ariſtotelis hæredum auctione* LXX. *patinas veniſſe traditur. Nam nos cum unam Æſopi tragœdiarum hiſtrionis in naturâ avium diceremus ſeſtertiis ſexcentum ſtetiſſe, non dubito indignatos legentes. At Hercules Vitellius in principatu ſuo* CC. *ſeſtertiis condidit patinam, cui faciendæ fornax in campis exædificata erat: quoniam eò pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris conſtent, quàm murrhina* &c. Accipatinam nominat Tertullianus in libro adverſus Valentinianos, cùm inquit: *Et*

Et omnia jam, ut ex omnium deſloratione conſtructum, gracculum Æſopi, Pandoram Heſiodi, Accipatinam, Neſtoris cocetum, miſcellaneam Ptolemæi. Quàm proprius fuit de Atticis hiſtoriis Pancarpiam vocari à tam otioſis auctoribus nominum? Videtur autem apud Tertullianum vox cocetum, poſita pro κυκεῶνα ſive cyceonem, ut uſurpavit Arnobius, ac ſignificare potionem illam Neſtoris, quæ celebratur ab Homero in Iliadis libro XI. his verſibus:

Ἄλλος μὲν μογέων ἀποκινήσασκε τραπέζης
Πλεῖον ἐὸν, Νέςωρ δ' ὁ γέρων ἀμογητὶ ἄειρεν.
Ἐν τῷ ῥά σφι κύκησε γυνὴ εἰκυῖα θεῇσιν,
Οἴνῳ πραμνείῳ, ἐπὶ δ' αἴγειον κνῆ τυρὸν
Κνήστι χαλκείῃ, ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνε.
Πινέμεναι δ' ἐκέλευσεν ἐπεὶ ῥ' ὥπλισσε κυκειῶ.

Habe-

Habetur & patella, parva ſcilicet patina, in quâ olera poni conſueverant. Horatius libro I. epiſtolarum ad Torquatum:

Si potes archaicis conviva recumbere lectis,
Nec modica cenare times olus omne patella.

Martialis libro V.

Ponetur digitis tenendus unctis
Nigra coliculus virens patella.

Juvenalis Satyrâ V.

Ponitur exiguâ feralis cena patellâ.

Varro Eumenidibus: *Patella eſurienti poſita provocat Neapolitanus piſcinas.* Iulius Pollux libro VI. τὰς δὲ καλυμμένας πατέλλας, λεκανίδας ὀνομαστέον. Erant & lances vaſa eſcaria, à Græcis πίνακες dictæ. Athenæus libro IV. Καὶ γὰρ τοὺς πίνακας ἐφ᾽ ὧν τὰς τροφὰς παρατίθενται, τοιούτους ἔχουσι. Trebellius Pollio in Tito tyranno: *Calpurnia Titi uxor de genere Cenſorinorum, id eſt, Piſonum, uniones Cleopatranas habuiſſe perhibetur, item*

Lan-

Lancem centum librarum argenti, cujus plerique poëtæ meminerunt: in quâ majorum ejus expreſſa oſtenderetur hiſtoria. Habetur & paropſis, vas ſcilicet eſcarium, cujus meminit Iuvenalis illo verſu:

Quàm multa magnaque paropſide cenat.

Martialis libro XI.

Cui portat gaudens ancilla paropſide rubra
Alecem, ſed quam protinus illa voret.

Suetonius in Galbâ capite XII. *Et ordinario quidem diſpenſatori breviarium rationum offerenti, paropſidem leguminis pro ſedulitate ac diligentiâ porrexiſſe.* Alexis in Heſione:

Ος εἶδε τὴν τράπεζαν ἀνθρώπους δύο
Φέροντας εἴσω, ποικίλων παροψίδων
Κόσμου βρύουσαν.

Non ſolùm autem pro eſcario vaſe, ſed pro vili etiam obſonio πάροψις à Græcis uſurpatur. Pollux, τὰς μὲν παροψίδας, inquit. ἡ μὲν πλείστη χρῆ-

σις

σις ἐλέγχει τοὔνομα ἐπὶ μάζης, ἢ ζωμοῦ τινός, ἢ ἐπὶ ἐδέσματος εὐτελοῦς, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ ἀγγεῖον λεκτέον. Deinde affert Antiphanis verſum ex Bœotiâ:

> *Καλέσασα παρατίθησιν ἐν παροψίδι*
> *βολβούς.*

Habetur & catinus, in quo apponitur piſcis feralibus aliquot in antiquo marmore cenis, juxtà illud Horatii. Sermonum libro II.

> *Anguſtoque vagos piſces urgere catino.*

Erat autem vas fictile, de quo Iuvenalis Satyrâ VI.

> *Simpulum ridere Numæ, nigrumque catinum.*

Eo utebantur pauperiores. Horatius Sermonum libro I.

> *——inde domum me*
> *Ad porri, & ciceris refero, laganique catinum.*

Sed non tantum ad piſces, ſed ad pullos etiam, & alia obſonia utebantur catino. Horatius Sermonum libro I.

Aut

Aut poſitum ante mea quia pullum
in parte catini
Suſtulit eſuriens, minus hoc jucun-
dus amicus
Sit mihi &c.

Sed omnia vaſa eſcaria hic perſequi conſilium non eſt. Nominanda ſunt igitur aliqua ex vinariis, & ea præcipuè quæ in antiquis marmoribus reperiuntur, de quibus tunc dicemus, cùm de uſu poculorum apud priſcos Romanos pauca præfati fuerimus. Conſtat enim ex veteribus Scriptoribus Romanos primùm ligneis poculis uſos eſſe, deinde fictilibus & vitreis, poſtremò æreis, aureis, & argenteis, & ex ipſis etiam gemmis, & lapidibus pretioſis. De ligneis meminerunt hi: Virgilius in Bucolicis:

—— *pocula ponam*
Fagina, cælatum divini opus Alci-
medontis.

Ovidius libro III. Faſtorum:

Terra rubens crater: pocula fagus erat.

Home-

Homerus etiam Odyſſ. libro IX. ligneum ex hederâ poculum agnovit, cùm inquit:

> Κισσύβιον μέγα χερσὶν ἔχων μέλανος
> οἴνοιο.

De fictilibus poculis facit mentionem Tibullus libro II. elegiâ I.

> *Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis*
> *Pocula, de facili compoſuitque luto.*

Itaque è Sagunto Hiſpaniæ civitate, ut inquit Plinius libro XXXIII. capite XI. advecta fictilia maximè in uſu ſuerunt. Martialis:

> *Sume Saguntino pocula facta luto.*

Vitrea pocula quando primùm in uſu eſſe cœperint, oſtendit Plinius libro XXXVI. capite XXVI. *Ferunt Tiberio principe, excogitato vitri temperamento, ut flexibile eſſet: totam officinam & artifices ejus abolitam: ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur. Eaque fama crebrior diu, quam certior fuit. Sed quid refert? Ne-*

ronis principatu repertâ vitri arte, quæ modicos calices duos, quos appellabant pterotos, HS. VI. *millibus venderet.* Ita totus hic locus legitur in libro manuſcripto. Tacitus libro XV. facit mentionem Vatinii cujuſdam ſutoris, qui vitreum calicem habebat protenſis quattuor roſtris inſtar naſorum: de quo ita Juvenalis Satyrâ v.

Tu Beneventani ſutoris nomen habentem
Siccabis calicem naſorum quattuor.

& Martialis in diſticho:

Vilia ſutoris calices monumenta Vatini
Accipe: ſed naſus longior ille fuit.

Capitolinus ſcribit Gallienum Imperatorem aſpernatum vitrea pocula, aureis ſemper bibiſſe. Hæc fracta permutabantur ſulphure.
Iuvenalis:

—— nec jam
Quaſſatum, & rupto poſcentem ſulphura vitro.

Mar-

Martialis,

——qui pallentia ſulphura fractis
Permutat vitreis——

Statius Sylvarum libro II.

——quique comminutis
Permutat vitreis gregale ſulphur.

De æreis conſtat ex loco Tertulliani ſuprà citato. De aureis autem & argenteis videndus Plinius libro XXXIII. capite XI. & XII. qui eodem libro capite I. pocula ponit ex auro diſtincta gemmis pretioſis, vel gemmea tota. *Nec hoc ſatis*, inquit, *turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices.* Inde Virgilius in Georgicis:

Vt gemma bibat, & Serrano dormiat oſtro.

Martialis:

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum.

Poculum argenteum ponit Iuvenalis Satyrâ I. in quo caper ſcalptus eſſet, quòd id animal vitibus infenſum Baccho ſacrificaretur, juxta


Apud D. Caſsianum à Puteo

Ovidianum illud ex libro I. Faſtorum:

Rode caper vitem, tamen hinc cum ſtabis ad aram,
In tua quod fundi cornua poſſit, erit.

Ex Græco, ut videtur, Epigrammate libro I.

Κἢν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω
Οσσον ἐπισπεῖσαι σοι τράγε θυομένῳ.

Juvenalis:

Argentum vetus & ſtantem extra pocula caprum.

***

Priſci mortalium (ſi Athenæo credas) cornibus bibebant, ſic enim ille libro II. Priſcos fama eſt atque primos homines Boum cornibus olim bibiſſe. *Nec aliter Xenophontis avo Thraces,* qui præmiſſâ ſalutatione vini cornua protendebant: *uti Expedit. libro* VII. *videre eſt. At lapſu temporis effectum eſt, ut cornea pocula vitreis, & fictilibus, opus ruſticum & ſimplex, vario, atque ad nitorem elaborato opere mutaretur. inſigni mehercule invento, ſi intra pudicitiam ſtetiſſet.*

tiſſet illius avi felicitas : nam ſucreſcente cum opibus luxu, eò deventum eſt, ut fatente Plinio, hiſt.nat.lib. XXXIII. *in proœmio*, per obſcœnitatem biberetur, *atque inter inſtrumenta gulæ, fœdiſſima quæque maximè placerent, hinc Juvenalis.*

— Vitreo bibit ille Priapo

Frequentiſſima tamen in poculis capri effigies erat, ſacrati Baccho animalis, ut quod ejus vineam læſerat. Horum poculorum diverſas icones refert Caſalius in libro de tricliniis quas hic poſuimus, inſtar cornu effigiatas, ac ſimilem cornuum ideam jam antea dedimus in lapide Rhamnuſiano depictam, quo lectorem remittimus.

**

Pocula Chryſendeta, quæ erant aureis cruſtis, ſive emblematis incruſtata, ponuntur à Martiale libro VI. his verſibus:

Ponuntur ſemper Chryſendeta Caſperiano
Sive foris, ſeu cum cenat in urbe domi.

Pocula Cryſtallina & Murrhina, ſæpius nominantur à Scriptoribus: Juvenalis Satyrâ VI.

Gran-

Grandia ponuntur Cryſtallina, maxima rurſus
Murrhina &c.

& Martialis libro III.

Opimianum morionibus nectar
Cryſtallinis murrhiniſque propinat.

Capitolinus in M. Aurelio: *Vendidit aurea pocula, & cryſtallina, & murrhina.* In antiquis autem marmoribus habetur in primis patera, quam Græci φιάλην dicunt, ſive φιάλιον, ut eſt apud Athenæum libro VI. in quo ſcribit, Durim Samium memoriæ prodidiſſe, Philippum Alexandri Magni Macedonis patrem, cum phialam auream haberet, ſemper illam ſub pulvino tenuiſſe repoſitam, ſic enim inquit: Διὸ καὶ Φίλιππον τὸν τοῦ μεγάλου βασιλέως Ἀλεξάνδρου πατέρα φησὶ Δοῦρις ὁ Σάμιος, φιάλιον χρυσοῦν κεκτημένον, ἀεὶ τοῦτο ἔχειν κείμενον ὑπὸ τὸ προσκεφάλαιον. Plin. lib. XXXIII. c. III. *Summæ apud exteros*, inquit, *licentiæ fuerat, poculo aureo pulvino* (ſive *pulvinis,*

nis, ut in V. C.) *ſubdito, Philippum regẽ dormire ſolitum.* Trebellius Pollio in Quieto meminit pateræ Cornelii Macri, his verbis: *Vidimus proximè Cornelium Macrum in eâdem familiâ virum, cum cenam in templo Herculis daret, pateram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem ejus hiſtoriam contineret: ſignis brevibus & minutulis Pontifici propinare. quam quidem circumferri ad omnes tanti illius viri cupidiſſimos juſſit. Quòd idcirco poſui, quia dicuntur juvari in omni actu ſuo, qui Alexandrum expreſſum vel auro geſtitant, vel argento.* Habetur & cantharus, quod poculi genus reperitur non tantum in antiquis marmoribus ſed in veteribus etiam numiſmatibus, præſertim Græcis. Erat autem poculum anſatum, quo poſt victoriam Iugurthinam, Cimbricam, & Teutonicam uſum ſemper fuiſſe C. Marium ſcribit Plinius lib. XXXIII. capite XI. & Valerius Maximus libro

bro XII. De eo meminit Athenæus libro XI. adducto Eubuli verſu: in quo queritur conviva cantharum diu vacuum exſiccari. ſic enim inquit:

Ὁ δ' ὁ κάνθαρος πάλαι δὴ κενὸς ὢν ξηραίνεται.

Reperitur & lagena, cujus meminit Martialis in Panaretum, & quæ è fici radicum filis fiebat, ut ſcribit Plinius libro XVI. capite XXXI. In antiquâ verò inſcriptione dicitur LAGVNA, ex Græco, ut videtur, vocabulo ductâ, ut conjici poteſt ex Athenæi libro VII. in quo meminit Lagynophoriæ, quod erat feſtum quoddam, in quo cenaturi diſcumbebant in toris è gramine ſtratis, ac reclinati è lagunâ quiſque ſuâ, quam domo attuliſſet, bibebant. Athenæi verba ſunt hæc: λαγυνοφορία ἑορτὴ, ἐν ᾗ οἱ συμπόται τὰ κομισθέντα αὐτοῖς δειπνοῦσι κατακλιθέντες ἐπὶ στιβάδων, ἐξ ἰδίας ἕκαστος λαγύνου παρ' αὐτοῦ φέροντες πίνουσι. & libro XI. idem Athenæus copioſè diſſerit de lagunâ, variis

Scriptorum teſtimoniis de ea prolatis. Hujuſmodi vaſa, & alia itidem eſcaria & vinaria in antiquis marmoribus repeliuntur, & quidem ſummo artificio elaborata. In quibus animadvertimus expreſſum etiam cochleare, quale ſuperioribus annis extabat argenteum manu non indocti artificis, apud Angelum Colotium Epiſcopum Nucerinum. Eo autem utebantur ad liquida ſorbenda cum alios cibos ſumerent, juxta illud Homericum:

Οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα
χεῖρας ἴαλλον.

& Ovidianum illud:

Carpe cibos digitis, eſt quidam geſtus edendi,
Ora nec immunda tota perunge manu.

Antequam verò ſuſceptam de Triclinio ſcriptionem finiamus, proferam locum quendam Dionis de Commodo Imperatore ex quo intelligi aliquo modo poteſt in uſu fuiſſe apud anti-

antiquos ut in fine cenæ, vel prandii ζήσειας dicerent, pro eo quod nos in conſuetudine habemus dicere, PROSIT. Locus Dionis ſic habet: καὶ ἔπιεν ἐν μέσῃ τῇ ἀγωνίᾳ καμὼν, κύλικι ῥοπάλῳ τῇ παρὰ τῆς γυναικὸς γλυκὺν οἶνον ἐψυγμένον, ἀμυστὶ, ἐφ᾽ ᾧ ὁ δῆμος καὶ ἡμεῖς παραχρῆμα πάντες τοῦτο δὴ τὸ ἐν τοῖς συμποσίοις εἰωθὸς λέγεσθαι, ἐξεβοήσαμεν, Ζήσειας. Ad quem morem Apuleius fortaſſe reſpexit, cùm ſcribit libro x. de Aſino: *Grandiſſimum illum calicem uno hauſtu perhauſi: & clamor exurgit conſonâ voce, cunctorum ſalute me proſequentium &c.* nam verbum *ſalute*, videtur ad illud ζήσειας omnino ſpectare. Videndum autem num ad convivas item referri poſſit id, quod ſuboſcurè innuit Iulius Pollux libro VI. capite XIV. & apertius ſcribit Athenæus libr. IX. allatâ ſcilicet poſt cenam medullâ panis, quam magdaliam, ſive apomagdaliam vocabant, ſolitos convivas manus abſtergere, quam poſtea canibus darent.

Quamvis non ſolùm magdaliâ, ſed ſmegmate etiam uſos ad abſtergendas manus fuiſſe, quod maſſa erat quædam ex variis odoramentis confecta, indicat idem Athenæus eodem libro, adducto Antiphanis teſtimonio ex Coryco, in quo poſtulat conviva dari ſibi aquam lavandis manibus & ſmegma. ſic enim ait:

Ἀπονίψασθαι δότω τις δεῦρ' ὕδωρ, καὶ σμῆγμα,

Illud etiam non eſt hic prætermittendum, in antiquorum marmorum cenis adeſſe convivantibus ſervos muſicarios, qui tum citharis & fidibus tum tibiis dextris & ſiniſtris convivas oblectent. Qui ſanè mos jam inde ab Heroicis uſque temporibus, quibus adhibebant in conviviis non tantum cantores & citharœdos, verum etiam pſaltrias & ſambuciſtrias, ductus videri poteſt, ut oſtendit Homerus, apud quem in Phæacum convivio canit Demodocus, in Ithacenſium Phemius: quem morem

morem notat Athenæus libro I. cùm inquit: ἐχρῶντο δ' ἐν τοῖς συμποσίοις καὶ κιθαρῳδοῖς καὶ ὀρχησταῖς, ὡς οἱ μνηστῆρες καὶ παρὰ Μενελάῳ ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδός. Et ipſos interdum convivas ſolitos fuiſſe ad tibicinem canere, auctor eſt Cicero in libro de claris oratoribus & in Tuſculanâ I. & IV. ex quâ, verba ſunt hæc: *Eſt in Originibus, ſolitos eſſe in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum virorum virtutibus.* & in libro III. de Oratore ſic eſt: *Ut epularum ſolennium fides ac tibiæ, Saliorumque verſus indicant.* Virgilius libro I. Æneidis.

—— cithara crinitus Iopas
Perſonat aurata &c.

Horatius libro III. ode II.

Tuque teſtudo &c.
—— nunc &
Divitum menſis, & amica templis.

***

Non piguit hic exhibere delineationem quorundam inſtrumentorum harmonicorum, quorum

rum frequens olim uſus apud veteres Romanos, quo, qui perdiſcendæ antiquitatis ſtudio flagrant habeant, quid ſibi velint illa Symphoniacorum nomina, Tibiæ, Cithara, Tympana, Cymbala, Siſtra, & id genus alia. Refert quippe hæc figura citharœdum Apollinem, & Siſtri veram formam, utrumque ad mentem Kircheri efformatum, niſi quod Ferrarium ſequuti, ſiſtrum poſuerimus in manibus viri tripudiantis, quo clarior redderetur ejus uſus: Tympanum, quod humi collocatum vides, Pignorio acceptum ferimus: Mulierem Cymbala quatientem, ſive cymbaliſtriam eam voces, ſubminiſtravit nobis idem Ferrarius in libro de florum culturâ. *His adjecimus Tibicinē, Tibiam dextram, & ſiniſtram inflantem, ſicuti in multis marmoribus adhuc conſpicitur. Naulia autem Crotalaque, & ſi quid ultra eſt iſtiuſmodi inſtrumentorum, de quorum incertâ figurâ, & dubiâ fabricâ etiamnum inter eruditos lis eſt, lubentes omiſimus, ne incerta pro veris venditando, fidem noſtram ſuſpectam redderemus.*

* *

Quin & talorum etiam luſu convivas inter cenam oblectatos fuiſſe, oſtendit Suetonius in Auguſto, adductâ ejus, ad Tiberium epiſtolâ, ex.

ex quâ ſunt hæc : *Cenavi mi Tiberi cum iiſdem. Acceſſerunt Vinicius & Silius pater. Inter cenam luſimus γεροντικῶς, & heri & hodie.* Item : *Nos mi Tiberi Quinquatriis ſatis jucundè egimus. Luſimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus.* Item ad filiam: *Miſi tibi denarios* CCL. *quos ſingulis convivis dederam, ſi vellent inter ſe inter cenam, vel talis, vel par impar ludere.* Propertius libro II. elegiâ XXXIII.

Lenta bibis, media nequeunt ſe frangere noctes :
At nondum eſt talos mittere laſſa manus.

Catullus ad Licinum :

— uterque noſtrum
Ludebat numero modo hoc modo illoc,
Reddens mutua per jocum atque vinum.

Ad hunc etiam morem reſpexit Plautus in Captivis, cùm inquit :

—— nam in convivio

Ama-

Amator talos cum jacit, ſcortum invocat.

Quòd autem dixit Suetonius loco ſupra citato, *vel par impar ludere,* convenit cum illo Horatiano:

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Forum item aleatorium quod nominavit, id non modo in marmoribus ſed in antiquâ etiam gemmâ expreſſum vidimus. Cenæ autem finis cum eſſet apud veteres Romanos ante ſolis occaſum, vel ſub ipſum certè occaſum ſolis, juxta illud Homeri Odyſſ. 3.

Ἠδη γὰρ φάος οἴχεθ' ὑπὸ ζόφον· οὐδέ γ' ἔοικε
Δηθὰ θεῶν ἐν δαιτὶ θαασσέμεν, ἀλλὰ νέεσθαι.

& ut de Domitiano inquit Suetonius, *Convivabatur frequenter ac largè, ſed pænè raptim. certè non ultra Solis occaſum.* poſtea in multam noctem cenæ produci cœperunt, ut de Nerone ſcribit idem Suetonius, quem

quem ſuas epulas à medio die ad mediam noctem protraxiſſe ſcribit, dicente Iuvenale Satyrâ II.

—— noctesque Neronis.

& Horatio libro II. Satyrâ VI.

O noctes, cenæque deum, quibus ipse meique,
Ante Larem proprium veſcor.

Item Perſio Satyrâ V.

Et tecum primus epulis decerpere noctes.

Unde in marmoribus ſcalptæ ſunt etiam lucernæ, quas vocant tricliniares, quarum maximus fuit uſus tunc, cum noctu convivia agebantur. Lucretius:

Si non aurea ſunt juvenum ſimulacra per ædes
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur.

Virgilius:

——pendent lychni laquearibus aureis

In-

Incenſi, & noctem flammis funalia
vincunt.

Græci λυχνέχες appellant. Horatius libro III. ode. VIII.

—— & vigiles lucernas
Perfer in lucem &c. ——

Alius autem fuit lucernarum & lampadum uſus, quibus noctu convivæ domum deducebantur: ex quâ conſuetudine Athenæus in cenâ Cleopatræ ſcribit Æthiopicos ſervos, qui convivis domum redeuntibus prælucerent, ab eâ datos eſſe: ſic enim inquit: πᾶσι ϗ λαμπτηροφόρες παῖδας Αἰθιόπων παρέςησεν. & de Duilio ita refert Cicero in Catone, *C. Duilium M. Filium, qui Pœnos primus claſſe devicerat, redeuntem à cenâ ſenem ſæpe videbam puer, delectabatur crebrò funali, & tibicine, quæ ſibi nullo exemplo privatus ſumpſerat: tantum licentiæ dabat gloria.* Deduci autem convivas domum poſt cenam ſolitos fuiſſe, notum eſt pluribus Scriptorum teſtimoniis: nam & Capitolinus

nus in Vero, donata dicit convivis ab eo fuiſſe vehicula cum mulabus & mulionibus, cum junčturis argenteis, ut ita de convivio redirent. Donata autem ait ea vehicula cum aliis apophoretis, quæ finito convivio dabantur convivis, juxta illud Martialis:

Præmia convivæ det ſua quiſque ſuo.

Ex qua conſuetudine, ut omittamus apophoreta ſupra relata in cenâ Cleopatræ, ſcribit Capitolinus *donatos à L. Vero poſt cenam convivis ſuis pueros decoros, qui miniſtraverant ſingulis: donatos etiam Structores, & lances ſingulis quibuſque, donata & viva animalia vel cicurum, vel ferarum, avium, vel quadrupedum, quorum cibi appoſiti erant: donatos etiam calices ſingulis per ſingulas potiones murrhinos & cryſtallinos Alexandrinos, ac quoties bibitum eſt: data etiam aurea atque argentea pocula, & gemmata &c. data & vaſa aurea cum unguentis ad ſpeciem*

ſpeciem alabaſtrorum: data & vehicula &c. & Lampridius ex eâdem conſuetudine ait Elagabalum *donaſſe convivis argentum omne, quod habuit in convivio, & omnem apparatum poculorum, idque ſæpius.* Aliàs item *dediſſe pro apophoretis Eunuchos.* & Suetonius in Caligulâ capite LV. dicit, eum *agitatori Eutycho comeſſatione quâdam in apophoretis vicies ſeſtertium contuliſſe. Itemque Incitati equo &c.* ſic enim legendum, non, *Incitato*, ut nomen aurigæ ſit, non equi: nec enim illa dona ſignificat data eſſe aurigæ, quod non ita fuiſſet mirum, homini ſcilicet, qui illis uti poſſet: ſed equo, cui dare domum, ſupellectilem, ac demum conſulatum, quibus uti non poſſet, planè ridiculum fuit. De reliquiis autem cenæ, quas innuit Homerus illo verſu Odyſſ. XVI:

——— ἃ ῥὰ τῇ προτέρῃ· ὑπέλιπον
ἔδοντες,

ſcribit Plutarchus Probl. libro II.

Quæſt.

Quæſt. IV. Romanos ſervis & miniſtris eas dare ſolitos fuiſſe, his verbis: ἢ καὶ πρὸς οἰκέτας φιλάνθρωπον τοὔθος; οὐ γὰρ οὕτω λαμβάνοντες ὡς μεταλαμβάνοντες ἀγαπῶσι, κοινωνεῖν τρόπον τινὰ τραπέζης ἡγούμενοι τοῖς δεσπόταις. Seneca libro II. epiſtolâ ad Marcellinum XVIII. *Quemadmodum*, inquit, *cenâ peractâ reliquiæ circumſtantibus dividuntur*. Suetonius in Galbâ: *Inter cenam verò uſque adeò abundantem, ut congeſtas ſuper manus reliquias circumferri juberet, ſpargique ad pedes ſtantibus*. Has innuit Plautus in Perſâ, cùm inquit:

Nunc huc introibo, viſam heſternas reliquias.

& in Curculione:

Et quidem reliqui in ventre cellæ locum,
Vbi reliquiarum reliquias conderem.

Quæ verò Analecta dicit Martialis, puto deſignari cenæ quiſquilias quaſdam, quæ ſcopis, dum per Media-

diaſtinos mundabatur triclinium, colligebantur. Sic enim inquit libro VII.

Colligere longa turpe nec pudet dextra
Analecta, quicquid & canes reliquerunt.

Item:

Otia ſed ſcopis nunc analecta dabunt.

FINIS.

HIE-

HIERONYMI MERCURIALIS

Diſſertatio

De accubitus in cena antiquorum, & ſemel dumtaxat in die cenandi conſuetudinis Origine.

HIERONYMI MERCURIALIS

Artis Gymnaſticæ.

Libri I. Caput XI.

De accubitus in cœna antiquorum, & ſemel dumtaxat in die cœnandi conſuetudinis Origine.

Quoniam balneorum explicatorum occaſio jam ſuadet, noſque ſupra polliciti ſumus de cœnandi ſemel in die, & in cœnâ accumbendi antiquorum conſuetudinis origine ſermonem habere; etſi extra rem noſtram videatur, atque à Galeno de accubitu nihil explicatum habeamus: haud prætermittendum eſt, quin ſententiam noſtram in medium proponamus, aliàs eam libentiſſimè mutaturi, ſi quis meliori judicio, ac eruditione præditus, veriorem aliquam, & magis rationi conſentaneam

neam demonſtraverit. Quod etenim majores noſtri mane exiguum quid comederent, quod prandium vocabant, & veſpere tantum ſaturarentur, dum cœnare dicebantur, (exceptis iis, qui coitu uſuri erant, quibus à medicis veſpere cœnare interdictum fuiſſe ſcripſit Ariſtoteles 3.*partic. Probl.* 32. & exceptis Syracuſanis, quos bis in die cibis impleri, quaſi res nova eſſet, tradit Plato) ſatis ab Horatio, Martiale, Plutarcho, atque Galeno (ne multos alios nominem) comprobatum eſt: ſed de his fuſius & melius in variis lectionibus noſtris tractatum eſt, quod ſimiliter ferè omnes dum cœnabant in ſtratis accumberent, præter lapides Romanos id clarè oſtendentes, doctiſſimus Philander in ſuis in Vitruvium commentariis auctorum antiquorum teſtimoniis clarum fecit, ut id amplius demonſtrandi laborem mihi omnem dempſerit. Cæterùm unde nam hæ duæ conſuetudines

dines principium acceperint & quomodo verè accumberent, nemo, quem ego viderim, ſive ex antiquis, ſive ex recentioribus, ita appoſitè & diligenter declaravit, quin poſteris dubitandi, & plura deſiderandi occaſionem reliquerit. Quod an ob rei obſcuritatem, an ob neglectum evenerit, ignoro. Ego ſanè utraſque illas, & accubitus ſcilicet, & unius in die cœnæ conſuetudines à balneorum uſu manaſſe exiſtimo, & primò ut ita de accubitu ſentiam, pluribus, iiſque non ſpernendis conjecturis adducor, quarum prima eſt, quòd Homeri tempore, quando non adeo frequenter balneis utebantur, cœnaturi ſedebant, ut in convivio Procorum apparet. 1. *Odyſſ.*

ἐς δ' ἦλθον μνηστῆρες ἀγήνορες, οἱ μὲν
ἔπειτα
ἑξείης ἕζοντο, κατὰ κλισμούς τε θρόνους τε,

id eſt,

*At proci ingreſſi ſunt, qui mox inde
ſuperbi*

Ordine ſederunt ſcamnis, & ordine
thronis.

& ubi Telemachus, ejuſque ſocius à Menelao hoſpitio accepti, poſt lotionem cœnant ſedentes.

ἕς ῥα θρόνους ἕζοντο παρ' Ἀτρείδην Μενέλαον:

id eſt,

Thronis ſedebant prope Atridem
Menelaum,

ſicque tempore majoris Scipionis, ac Plauti creſcente paullatim balneorum uſu, unà quoque hujuſcemodi accubitus incrementum, præſertim apud Romanos cœpit; neque tamen multum, quando ſcilicet viri tantum, & non mulieres, ut Vitruvius, Valerius Max. & Iſidorus ex Varrone teſtati ſunt, accumbebant, nec cum ipſis lavabantur, etſi Tyrrhenos unà cum mulieribus ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἱματίῳ accubuiſſe legatur apud Athenæum Nam & Ariſtotelis tempore Græcos diſcubuiſſe in publicis cœnis credi poteſt ex ejus in 7. *Politic.*

tic. ſcriptis, ubi puerorum inſtitutionem tradens Iunioribus præcepit, ne tragœdias, aut jambos audirent, priuſquam in comeſſationibus cum aliis diſcumbere (κατακλίσεως voce utitur) valerent: à Pompeii verò Magni ætate uſque ad Galeni, atque etiam Conſtantini Imperatoris tempora, cùm in frequentiſſimo uſu balnea eſſent, non ſolùm penes divites, atque nobiles, verùm etiam quoſcunque alios, tunc omnes ferè, atque etiam mulieres cœnantes ſimul accumbebant, ſicuti hiſce verſibus innuit Ovidius II. *de arte amandi.*

Ergo ubi contigerint poſiti tibi munera Bacchi,
Atque erit in ſocii femina parte thori.

& libro I. *Amorum Eleziâ* IV.

Cum premet ille thorum, vultu comes ipſa modeſto
Ibis, ut accumbas.

& ſicuti Valerius *libro* II. *cap.* II.

 idem

idem de ætate ſuâ ſcribit. Quamquam apud Græcos numquam mulieres accubuiſſe *iij. Verr.* tradit Cicero, & apud Romanos diverſo ſitu mulieres à viris accumbentes cœnaſſe rationi conſentaneum eſt: non ſolùm, quòd honeſtatis, atque dignitatis utriuſque ratio ita poſtulaſſe videtur, ſed quia in Romanis lapidibus, in quibus mulieres cum viris accumbentes repræſentantur, illæ certè figurâ quâdam ab ipſis aliquo pacto diverſâ, quaſique ſedentes, & nulli alteri rei cubitis innixæ accumbentes, & edentes conſpiciuntur. At quo pacto viri accumberent, operæ precium me facturum auguror, ſi poſtquam locus invitat, breviter explicuero. Viros enim ſcribit Plutarchus v. *Symp. Prob.* VI. in principio cœnæ cubito ſiniſtro innixos pectoribus (ita interpretor πλατεῖς) menſam, ut plurimùm tetigiſſe, quò ſolâ dexterâ manu illam circumire poſſent, in fine

ſine verò ſe ipſos in latus ita, ut acutam corporis figuram redderent, vertiſſe. ὐ κατ' ἐπίπεδον ἀλλὰ κατὰ γραμμὴν τῆς χώσας ἀπτομένυς, id eſt, non ſecundum latitudinem, ſed longitudinem locum tangentes. Quam etiam rem Alexander ille, ſive ſit Aphrodiſienſis, ſive Trallianus, (ut magis ſuſpicor) *libro Problematum primo, probl.* 82. clariorem facit: ubi inter alias cauſſas, ob quas veteres in principio cœnæ arctius accumbebant, hanc eſſe unam putat, quod tunc τὸν θώρακα καὶ τὰ πλάτη τῦ σώματος diſponebantur: ſatiati verò ἐπὶ τὰ πλάγια vertebantur, ita, quod ubi edebant, capite erecto ac humeris, ſpinâ vero dorſi modicè reflexâ, ac reliquo corpore reſupinè locato, & jacente manebant. dum autem multa loqui volebant in latera verſus auditores vertebantur, ob quod Juvenalis *Satyrâ* IV.

—— *Nam plurima dixit*

In lævam converſus, at illi dextra jacebat
Bellua; ſic pugnas Cilicis laudabat, & ictus
Et pægma, & pueros inde ad velaria raptos.

ſaturati pariter interdum unum in latus, nonnumquam ſupra dorſum ſupini, ſæpè more ſedentium ſeſe componebant. Sertorium enim cùm moleſtas importunorum convivarum rixas, & fraudulenta convicia averſaretur, mutatâ diſcumbendi formâ ſeſe ſupinum locaſſe, atque inde facilius ab iniquiſſimis, qui in eum conjuraverant, convivis trucidatum eſſe in ipſius vitâ narrat Plutarchus. Quòd accubitus in menſis apud veteres hunc in modum fieret, præter allata ſcriptorum teſtimonia locupletiſſimam fidem unicuique facere poſſunt duæ, quas infra ponendas curavimus, picturæ, quarum alteram ad tripodem cœnantium, ut plerumque ſolebant, Ligorius maximæ

mæ auctoritatis antiquarius ex vetuſtis monumentis communicavit, alteram ex antiquiſſimo, & omnium rariſſimo marmore, quod in Paulli Rhamnuſii viri optimi, ac bonarum litterarum, omniumque pulcherrimarum rerum ſtudioſiſſimi, luculentis ædibus Patavii conſpicitur, accuratè, & fideliter repræſentari fecimus. Ex hac namque poſtremâ, non modo ſententia noſtra, de verâ accubitus formâ, quam primi forſan omnium Romæ Octavio Pantagatho, Onuphrio Panuino, aliiſque graviſſimis viris, & poſtremò Patavii Ligorio, abſque marmoris ullius teſtimonio, ac ſolâ conjecturâ propoſuimus, librorumque auctoritatibus tutati ſumus, apertiſſimè confirmatur, quæque fuerint veterum triclinia perſpicuò cognoſcitur, immò verò Lambini, ac aliorum qui ex ingeniis accubitum variis modis deſcribere aggreſſi ſunt, opiniones refelluntur, ſimul plura

ſcriptorum, obſcura, & præclara loca illuſtrantur, ut non immerito debeant cuncti bonarum artium, & antiquitatis amatores in primis doctiſſimi viri Joannis Baptiſtæ, qui lapidem comparavit, Manibus; tum Paullo Rhamnuſio filio, qui eum egregiè cuſtodivit, & nobis indicavit, immortales gratias agere. Etenim ei quod Plutarchus *l. de Symp. probl.* III. de loco conſulari, nec non de tribus tricliniorum lectis diſſeruit, jam non obſcurum eſt, quàm mirificè quadret propoſita, triclinii Rhamnuſiani figura. Similiter, & quæ ab Horatio de convivarum ſitu variis in locis narrantur, non aliunde melius intelligi poſſunt, præſertim quando ſcribit. *libro* I. *Satyrâ* IV.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos:
E quibus unus avet, quavis aſpergere cunctos
Præter eum, qui præbet aquam.

Quem

Quem locum dum Lambinus exponeret, cur antiquos conſueviſſe in quolibet lecto magnâ ex parte quaternos cœnare palam aſſeruerit, ſanè miror, quaſi non ſit cuique perſpectiſſimum, ut narrat Varro, leges exſtitiſſe quæ numerum convivarum novem excedere, nec pauciores tribus eſſe vetabant, ſicut & adagium illud vulgatiſſimum, ſeptem convivium, novem convicium, atteſtatur. Quinimmò Iulius Capitolinus refert L. Verum Imperatorem præter exempla majorum, cum duodecim ſolemni convivio primum accubuiſſe, ita ut prioribus ſeculis potius ternos, atque pauciores adhuc ſingulo lecto convivas diſcumbere ſolitos fuiſſe convincatur: niſi epula publica, & nuptiales cœnas excipiamus, in quas cùm magna hominum copia conveniret, nequaquam accumbentium numerus ſervari poterat, ut ex Plutarcho v. *Symp.* v. ac Rhamnuſiano lapide colligitur, quo vel epulum

publicum, vel nuptialem cœnam repræſentari non eſt dubitandum, ut ob hoc Chacrephon apud Athenæum in vi. videatur admittere convivas triginta dumtaxat in nuptiis, in quibus veriſimile eſt neceſſarium fuiſſe vocatorem illum, cujus meminit Seneca *libro* iii. *de ira capite* xxxvii. & qui ſecundum cujuſque dignitatem convivas ad loca debita vocabat. Quòd autem Turnebus, & Lambinus idem de puero aquam præbente ſunt interpretati, equidem non improbo. at forſan nec abſurdum fuerit, ſi Flacci verba de eo pucro exponantur, quem tam omnes ferè menſarum ſculpturæ antiquæ, quàm poëtarum teſtimonia convivis ſemper frigidam, & calidam præbuiſſe oſtendunt, quemque cunctos, ne ab ipſo malè tractarentur, reveritos eſſe, & à quo mordendo abſtinuiſſe veriſimile ſit. Iam verò Maria Magdalena ut ſtans retrò pedes Chriſti cœnantis laverit, atque Ioannes

nes ſupra ejuſdem Chriſti pectus recubuerit, ex hac eâdem Rhamnuſiani triclinii figurâ, ſecus quàm pictores antiquarum rerum ignari faciunt, & quam Gajetanus Cardinalis inutiliter commentatus eſt, facilè conjicitur. Etenim Hebræos, ac Chriſtum accumbendi Romanorum conſuetudinem obſervaſſe præter Architriclini accubituſque nomen in Euangeliis ſæpè uſurpatum etiam id teſtari poteſt, quòd Iudæi frequenter Romæ converſarentur, ſimiliterque Romani in Iudæâ, ac in uſu poſitum ſit ut populi principum mores frequenter æmulentur, neque pariter arduum eſt percipere quid Martialis *libro* v. ſignificare hoc diſticho voluerit.

Omnia cùm retrò pueris obſonia tradas,
Cur non menſa tibi ponitur à pedibus?

Siquidem cœnantibus altè jacentibus ſpacia retrò relinquebantur in qui-

quibus ſervis varia miniſtrantibus multa offerre, & ablata recipere facilè erat, ſervos namque ad pedes cœnantium ſtare ac ob id à pedibus, vel ad pedes vocari ſolitos ex multorum ſcriptis intelligere licet. Seneca libro III. de beneficiis. *Servus qui cœnanti ad pedes ſteterat, narrat, quod inter cœnam ebrius dixiſſet.* Martialis:

Mixto lagenam ad pedes replet vino.

Suetonius in Galba cap. XII. *inter cœnam verò uſque eo abundantem, ut congeſtas ſuper manus reliquias circumferri juberet, ſpargique, ad pedes ſtantibus.* Theophraſtus in Characteribus hunc morem dandi ex menſâ ſervis à pedibus tribuit impudenti, de quo etiam Athenæus initio libri quarti. Lucianus in lapithis, & Lucilius ſecundo epigramm. græc. titul. in gluttones. Sed præter alia mox dicta, triclinium hocce tria non adeò vulgata monſtrat nobis.

Unum

ACCVBITVS



Unum eſt, quod memoriæ prodidit Varro, ſcilicet quo tempore uſus cameræ ignorabatur, vela ad excipiendum pulverem ne ſuper menſas ſpargeretur, atque dapes ſimul conſpurcaret, & convivas, ſolita in tricliniis ſuſpendi atque ab Horatio aulæá vocata, his carminibus deſignari.

Interea ſuſpenſa graves aulæa ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.

quem morem hodie Principes, & Monarchas ſervare compertum eſt: apud quos, menſas ſub quibuſdam veluti tentoriis ſericeis parari ſæpè videmus. Alterum eſt, quod in variis noſtris lectionibus docuimus, nimirum priſcis illis temporibus priuſquam coronæ ex floribus, herbis, & auro in uſum venirent, cœnaturos, cùm ad dolores capitis ex cibo & potu

potu averruncandos, tum ad ebrietatem compeſcendam, laneis, aut lineis vinculis tempora & frontem vincire ſolitos. quod minimè puto abſque ratione, fuiſſe excogitatum, cùm venæ, arteriæ, cæterique capitis meatus, quò magis coacti, atque adſtricti ſunt, eò minus vapores à vino, & cibis ſurſum elatos, ſimulq; moleſtias varias inducentes recipiant. Tertium eſt, id quod luculentiſſimè Athenæus tractavit, *Dipnoſophiſt.* 11. apud quem ſcriptum & probatum invenitur, priſcos illos primùm cornibus boum potaſſe, indeque *κεράσαι*, id eſt, temperare vinum aquâ *ἀπὸ τῶν κεράτων*, id eſt, à cornibus vocatum eſſe: tum cornua illa non ſolùm auro, & argento ornata, verùm etiam argentea, & aurea eſſe facta, illiſque convivas ſibiipſis mutuo propinare conſueviſſe: ut ex his omnibus jure colligendum videatur, lapidem Rhamnuſianum eſſe vetuſtiſſimum, in quo & aulæa, & convivarum cinctæ

laneis,

laneis, ſeu lineis vinculis frontes, & cornu facta propinatio clariſſimè repræſentantur, unà cùm aliis inſtrumentis nonnullis in dextro margine expreſſis, quæ aliis, in antiquitate explicandâ magis verſatis, relinquo declaranda; quos etiam monitos cupio, ne ſi quæ diſcumbentium, & menſarum figuræ in hoc ipſo triclinio minus integræ conſpiciuntur, nullâ admiratione capiantur, quoniam ut eſt hodie marmor ipſum vetuſtate corroſum, & penè deletum, repræſentare ſatius duximus, quàm addentes aut dementes quicquam, fidem noſtram ſuſpectam reddere.

Nunc itaque ad id quod ſupra propoſueram rediens dico, cùm & lavandi, & accumbendi mores ſimul introduci, augerique cœperint, veriſimile fieri, alterum eorum ab altero ortum duxiſſe: non autem eſt dicendum ab accubitu balnea utpote valde antiquiora, ortum duxiſſe: igitur remanet, ut accubitus à balneis

MARMORIVM vetuſtiſsimi Rha-mnuſian Præfecti.



eis principium habuerit. Secunda atio eſt, quod veteres uſque ab Homeri temporibus ſtatim poſt balnea cœnitabant, quinimo ex locis Homeri à nobis ſupra citatis clarè eliitur, menſas propè locum ubi laabantur, parari ſolitas fuiſſe. ex quo ſi commoditatis, voluptatis, ac valetudinis rationes conſideremus, valdè rationi conſentaneum erat, illos præſertim, quibus privata erant domi balnea, jam lotos, & deterſos, ne noxam ullam incurrerent, ſed laſſitudinem effugerent, lectulos ingredi, à quibus non diſcederent, ſed mox propè menſas, & cœnam parari curarent, ſicque comederent, perinde ac tempeſtate noſtrâ major pars eorum medicorum faciendum jubet, qui aut valetudinarios, aut etiam ſanos lavari mandat, nam κλισμοὶ illi, in quibus procos lotos Homerus ſedere facit, dum cœnant, haud multum lectulis accubitoriis diſſimiles erant, ut hinc quoque conjicere

jicere valeamus, tunc accumbendi morem principium quoddam obſcurum habuiſſe; quod poſterioribus deinde ſeculis paullatim creſcens in eam formam terminatum ſit. Nam & Plinius *libro* XIV. *capite* XXII. hoc innuere voluiſſe mihi videtur, quando nonnullos vino nimium deditos improbat, quod poſt balnea lectos ingredi prius, tunicamque induere non paterentur; ſed nudi protinus ad bibendum accurrerent. Accedit tertia ratio, quod cùm neque ob voluptatem, commoditatemve ullam aliam, aut honeſtatem ita accumbere inchoarint, quando ſi ſedentes, atque accumbentes in cœnando invicem comparemus, illi valdè majori commoditate, facilitate, dignitate, ac honeſtate utuntur, quàm accumbentes: conjiciendum videtur aliquâ aliâ juſtâ ratione conſuetudinem illam invectam fuiſſe, quæ opinione meâ, nulla alia fuit, niſi quia quotidie lavabantur; à lotione ne offenderentur,

tur, laſſitudinemve incurrerent, & humectatione balnei magis fruerentur, lectos ingrediebantur, atque ibi vel lacernâ, aliàs veſte nuptiali vocatâ, induti, vel nudi, ut in marmoribus aliquibus oſtenduntur, menſas ſibi ipſis apparari jubebant. Ex quo paullatim hujuſcemodi conſuetudine creſcente factum fuit, ut non modo ſemper menſæ, & lecti ſimul pararentur, verùm etiam magnum dedecus foret, ſi quis cœnans non accubuiſſet, ut ex hiſce Plauti in ſticho verbis colligitur,

Potius in ſubſellio Cynice accipiemur, quàm in lectis,

& ut Martialis ſignificavit, ubi Syriſcum damnat, quod in popinis ſellulariis non accumbens cœnaret. Excipio tamen in bello verſantes ubi non eſt veriſimile ullos accumbere potuiſſe, cùm etiam Auguſtum inter alios cœnantem ſedere ſolitum ſe vidiſſe in exercitu narret Paterculus *libro* 11. Quod ſi quis ſententiæ noſtræ

ſtræ id refragari velit, quod veriſimile nequaquam videtur in epulis publicis, in nuptiis, in cœnis privatis, ſemper balnea ante cœnam adhibita, ut eorum gratia in lectis accumberent; & quod magna pars hominum in publicis balneis gymnaſiorum lavabantur; in privatis verò domibus cœnabant; unde neceſſe erat exeuntes ab ipſis indui, & præterea minimè credendum eſſe, artifices, & omnes denique, qui accumbendo cœnabant, ſemper antea laviſſe, quando præſertim, ex Plauto, Terentio, & ex lapidibus Romanis ſcitur accubituris ſoccos & ſoleas detrahi ſolitum. quod argumentum eſt, eos non ſemper à balneis tunc diſceſſiſſe, & quando ſimiliter conſtat triclinia à balneis ſeparata fuiſſe, atque lectos accubitorios, & cubicularios, in quibus dormiebant, diverſos exſtitiſſe. Huic primò reſpondeo, minimè mihi plenè conſtare, quod omnes indiſcrimina-

minatim ſemper accumberent, uti certum eſt de nobilioribus, atque ditioribus, qui privatas domi balneas habebant; quando Horatius *libro* I. *Serm. Epiſt.* VI. privatam ſui ipſius vivendi rationem exponens, accubitus nullam mentionem fecit, & quando Martialis eos, qui in ſellulariis vocatis tabernis comedebant, minimè accubuiſſe ſignificat, ubi de Syriſco in hunc modum loquitur *libro* V. LXX.

Infuſum ſibi nuper à patrono
Plenum, Maxime, centies Syriſcus
In ſellariolis vagus popinis
Circa balnea, quatuor peregit.
O quanta eſt gula, centies comeſſe!
Quanto major adhuc nec accubare!

Sed eſto quod accumberent, quin etiam omnes lavarentur, minimè negari poteſt, cùm vel rariſſimè, vel numquam de accubitu apud auctores mentio habeatur, quin lotionem quoque aliquo pacto nominari appareat. De publicis epulis, atque nuptialibus

ptialibus conviviis, fateor quidem omnes in ſtratis tunc accubuiſſe: haud quaquam tamen jure quis inficiabitur, quod etiam quilibet ante ſeparatim, aut ſimul in privatis, aut publicis balneis non lavaretur: immò veriſimile ſit, acceſſuros ad publica, vel privata amicorum convivia prius ſe laviſſe, ne ſordibus in die neceſſitate quâdam contractis infecti, ceteros mundiores perturbarent, & propterea ipſis nunquàm non ſtratos fuiſſe lectos, jam verò ſoleas, & ſoccos accubituris detrahendi mos certum argumentum eſt prius ſeſe lavare conſueviſſe, ac ne inter eundum à balneis ad lectos pedes conſpurcarentur, iis tegere conſueviſſe, dumque accumberent ſemper detraxiſſe, ac fortè Apoſtolos lotos, dum ad cubitum cum Chriſto irent neque ſoleas, neque ſoccos quibus minimè utebantur habuiſſe; propterea audiviſſe à Chriſto ſeſe quidem lotos fuiſſe, ſed ut pedes lavarentur indi-

indiguiſſe. Addo huic, nequaquam me ſentire poſterioribus ſeculis omnes propterea accubuiſſe cœnantes, quia ſtatim è balneis exirent, ſed exiſtimo accubitus originem inde emanaſſe, quoniam antiquiores balneis egredientes ad jam contractam, aut futuram laſſitudinem vitandam poſt modicum temporis interuallum lectos intrarent, atque ibi modò nudi, modo lacernis, aliisve in id paratis veſtibus induti cœnarent, atque inde mox aucta balneorum conſuetudine uſque adeo accumbendi morem creviſſe, ut nobiliores in deliciis maximis eum habentes, lectos nunc marmoreos, nunc argenteos (quod de Heliogabalo ferunt) in id ſeparatim exſtrui curarint, neque in iis, in quibus tamen quam plures, (ut de Lucio Vero Imperatore tradit Capitolinus, & præſertim pauperes dormire conſueviſſe puto) quem morem accumbendi poſtea viliores, & pauperes ad ditio-

ſemel comedendi in die otium ipſis ſuppeteret: quoniam ſi privata cujuſque negotia ſpectemus, ſi & exercitationum, & balneorum, accubituſque apparatum conſideremus, magna temporis pars ipſis inſumitur, ut ſi bis in die ſaturari voluiſſent, aut negocia omittere, aut balnea interdum ventre pleno adire, alioſque multos errores, & in valetudine, & in aliâ vitæ ratione committere fuiſſent coacti. Comedendi verò horam, & modum balneorum tempore, atque commoditate metiri inſtitutum fuiſſe poſſumus à Galeno intelligere VI. *de tuenda valetudine*, qui ſi interdum ob ægrotantium inſpectiones tardius ſe lavandum dubitabat, panem mane ſumebat, quo cœnæ tempori ſufficere valeret, quando alii ſimili de cauſſâ, panem, vinum, olivas, aut quid aliud capiebant, uti non modo Galenus faſſus eſt, ſed etiam Horatius, ubi de ſe ſcribit.

Pran-

Pranſus non avidè, quantum inter-
pellet inani
Ventre diem durare.

Quod porrò veſpertinam horam cœnæ dedicarint, in cauſſâ fuiſſe præcipuè vitæ commoditatem exiſtimo: ſiquidem difficile fuiſſet poſt exercitationes, balnea, & cibum, agendis rebus operam navare; præterea cùm accumbentes cœnarent, alii ſtatim ſomno capiebantur, alii modico temporis ſpatio vigilantes dormitum ibant: ex quo ad hæc omnia nulla opportunior hora quàm veſpertina inveniebatur, quamquam etiam nonnullos, & præſertim medicos in hoc valetudinis quoque rationem ſpectaſſe opinor, quando in nocte melius, quàm interdiu, cibi conficiuntur, tuncque perſpicuum eſt plus edendum, quando plus coquitur. Hæc ſunt quæ de accubitus, & cœnæ antiquorum origine mihi dicenda volui.

APPENDIX AD CAPUT ANTECEDENS

ubi iterum de accubitu, triclinio, & de Mariæ Magdalenæ hiſtoriâ tractatur.

IN antecedente capite dum accubitus veterum rationem afferre multis ſeculis ante ignotam tentaſſem, ex ejuſque notitiâ ſignificaſſem intelligi poſſe Mariæ Magdalenæ factum illud à Lucâ Euangeliſtâ fideliter narratum, quando illa diſcumbentem Chriſtum apud Phariſæum reperit, illiuſque pedes lachrymis lavit, capillis terſit, & unguento precioſo unxit, complures meis rationibus incitati eam mulieris actionem repræſentare, & ſine coloribus, & cum coloribus ſunt conati, quò

quò factum eſt, ut ejuſmodi figura tam ſolis typis, quam etiam coloribus expreſſa in varios orbis locos ſit divulgata; & quamvis pleriſque ejuſmodi repręſentatio tamquam verbis Evangelii mirum in modum conſona, maximè verò pictoribus, qui hactenus ſeſe fefelliſſe agnoverint apprimè arriſerit, attamen non defuerunt, quibus illud numquam probari potuerit, tum quia ejuſmodi accubitus ſibi valdè indecorus, atque à Chriſti vitâ, & moribus alienus, ſimulque edendo, & bibendo non parùm incommodus videretur, tum quia à cunctis, præſertim antiquioribus Euangelii interpretibus ſit penitus ignoratus, aut ſaltem omiſſus, minimèque conſideratus, tum quia à pictoribus numquam nec ſomnio quidem aut cogitatus, aut ullo modo expreſſus invenitur, quaſi verò haud ſit veriſimile potuiſſe tanto tempore, totque peritos artifices, atq; doctiſſimos interpretes latere rẽ non ita exi-

gui ad percipiendam Euangelii veritatem momenti. Petrus Ciacconius, & Fulvius Urſinus rerum antiquarum peritiſſimi: quique multis annis poſt meam gymnaſticam de triclinio ſcripſerunt, procul dubio ad veritatem accubitus acceſſerunt, atque ſi æquus lector noſtras cogitationes illorum ſcriptis comparare velit, certè ſtatim animaduertet, ferè quicquid hac de re boni dixerunt, è noſtro libro accepiſſe, præteritâ tamen memoriâ, ſecus quàm fecit eruditiſſimus Galliæ ocellus Petrus Faber, qui non modò ſummâ ingenuitate in libris ſuis agoniſticis incredibili doctrinâ refertis, non erubuit profiteri ſeſe magnoperè ex libris de re gymnaſticâ noſtris profeciſſe, verùm etiam ſegetem, quam ego primus illius penè obliteratæ artis renovavi, ita ſingulari ſtudio, & ubertate propagavit, exornavitque, ut ab omnibus pro tanto beneficio ſibi gratias immortales agi mereatur.

Ita-

Itaque ut omnem ex animis dubitantium eximam ſcrupulum, & aliquid majoris lucis tantæ rei obſcuritati afferam, à compluribus quoque rogatus, nonnulla hoc in loco tam de ipſo accumbendi ritu, quàm de ipſius Magdalenæ ſitu, & operandi modo adjicere deliberavi, ratus me hoc labore id effecturum, ut gentes tandem re ipſâ melius conſideratâ, paullatim incipiant vetuſtum errorem exuere, atque ſimplicibus animis picturâ veram ejus facti hiſtoriam piis, & veritatis amantibus repræſentare. Quod itaque Veteres tam Græci, quàm Latini, atque Hebræi epulantes accumberent, nomen ipſum apud haſce cunctas gentes receptiſſimum facilè perſuadere poteſt, quemadmodum à paucis dubitatum invenio, quin triclinio pro commodè, & faciliter edendo, atque bibendo, paſſim aliquot ſeculis uſi ſint. Quid autem propriè antiquis eſſet triclinium non ita ab omnibus confeſſum habetur;

Etenim qui nuper ad Athenæum eruditiſſimas animadverſiones haud ſine magnâ laude in lucem miſit *Caſaubonus* monſtraſſe ſibi perſuaſit, triclinium interdum fuiſſe acceptum pro ipſo habitaculo, ubi lecti ſternebantur, propterea que *πεντάκλινον δεκατρίκλινον δωδεκατρίκλινον* inveniri nominata, prout pauciores pluresve lectos capiebat; neque ipſe id abnuo apud aliquos fuiſſe ſic appellatum, ſed quia in illo Athenæi convivio unuſquiſque in medium id proponere conabatur, quod infrequentius erat, atque aliquam ſcitu dignam raritatem habebat: icciτco exiſtimandum eſt illud perquam rarum extitiſſe, & ſicuti quæ gentes Romanis ſerviebant, cæteros ipſorum mores imitabantur, ita credere oportet, & in nominando, & in utendo triclinio eundem eſſe ſenſum ſecutos, quem & Regina urbium Roma ſequebatur. Atque de hoc ipſo cùm loqueretur antiquus,

&

& gravis ſcriptor Servius *in Commentario ad primum Virgilianæ Æneidos* dixit, *Veteres ſtibadia non habuiſſe ſed ſtratis tribus lectis epulaſſe* (unde triclinium ſterni dictum) atque eos errare, qui vocant triclinium ipſam baſilicam, vel cœnationem. Neque minus falluntur, qui putarunt tripodas illos, de quibus mentio eſt apud Athenæum ex Eubolo comico, & in quibus duo vel tres edentes repræſentantur in marmoribus vetuſtis fuiſſe triclinia, quandoquidem nulla ibi trium lectorum imago, neque accubitus conſpicitur, ſed ſunt dumtaxat ſepulchralium cœnarum effiges, de quibus tractant, qui ſepulchrales veterum ritus deſcribere ſunt agreſſi; & Vulpianus, qui apud Athenæum ejus vocis inſolentiâ offenſus eſt, tamquam indignum menſæ nomine reputavit. Neque verò alia forma tricliniorum, & accubitus eſt quærenda ab eâ, quam ex antiquiſſimo

Rhamnuſiano marmore nos primi in gymnaſticâ dedimus, & in quâ præter lectos tres, veſtigia ſatis manifeſta conſpiciuntur ejus menſæ, quæ quòd quattuor pedes haberet, uſus obtinuit apud Græcos, ut vocaretur τράπεζα. Hujuſmodi autem triclinii, & menſæ, tametſi non adeò frequentes figuræ inveniantur in marmoribus, arbitrandum eſt, id eveniſſe quod de pleriſque aliis majorum noſtrorum rebus, quæ quòd populares & vulgatiſſimæ eſſent, eas ad poſteros conſignare monumentis neglexerunt, ſicut locupletiſſimè in libello de rebus deperditis docuit nuper Guidus Pancirolus. Neque verò ſimile prædicto marmore quicquam aliud fictum, vel falſum repræſentari, quam ipſummet triclinium, atque accumbendi ſeu diſcumbendi morem tunc uſitatiſſimum, ut plenius in primo de gymnaſtica oſtendimus. Verùm etſi hæc ſatis comprobata videantur, illud tamen à ple-



pag. 421.

Etenim qui nuper ad Athenæum eruditiſſimas animadverſiones haud ſine magnâ laude in lucem miſit *Caſaubonus* monſtraſſe ſibi perſuaſit, triclinium interdum fuiſſe acceptum pro ipſo habitaculo, ubi lecti ſternebantur, proptereaque πεντάκλινον δεκατρίκλινον δωδεκατρίκλινον inveniri nominata, prout pauciores pluresve lectos capiebat; neque ipſe id abnuo apud aliquos fuiſſe ſic appellatum, ſed quia in illo Athenæi convivio unuſquiſque in medium id proponere conabatur, quod infrequentius erat, atque aliquam ſcitu dignam raritatem habebat: iccirco exiſtimandum eſt illud perquam rarum extitiſſe, & ſicuti quæ gentes Romanis ſerviebant, cæteros ipſorum mores imitabantur, ita credere oportet, & in nominando, & in utendo triclinio eundem eſſe ſenſum ſecutos, quem & Regina urbium Roma ſequebatur. Atque de hoc ipſo cùm loqueretur antiquus,

&

& gravis ſcriptor Servius *in Commentario ad primum Virgilianæ Æneidos* dixit, *Veteres ſtibadia non habuiſſe ſed ſtratis tribus lectis epulaſſe* (unde triclinium ſterni dictum) atque eos errare, qui vocant triclinium ipſam baſilicam, vel cœnationem. Neque minus falluntur, qui putarunt tripodas illos, de quibus mentio eſt apud Athenæum ex Eubolo comico, & in quibus duo vel tres edentes repræſentantur in marmoribus vetuſtis fuiſſe triclinia, quandoquidem nulla ibi trium lectorum imago, neque accubitus conſpicitur, ſed ſunt dumtaxat ſepulchralium cœnarum effiges, de quibus tractant, qui ſepulchrales veterum ritus deſcribere ſunt agreſſi; & Vulpianus, qui apud Athenæum ejus vocis inſolentiâ offenſus eſt, tamquam indignum menſæ nomine reputavit. Neque verò alia forma tricliniorum, & accubitus eſt quærenda ab eâ, quam ex antiquiſſimo

Etenim qui nuper ad Athenæum eruditiſſimas animadverſiones haud ſine magnâ laude in lucem miſit *Caſaubonus* monſtraſſe ſibi perſuaſit, triclinium interdum fuiſſe acceptum pro ipſo habitaculo, ubi lecti ſternebantur, proptereaque πεντάκλινον δεκατρίκλινον δωδεκατρίκλινον inveniri nominata, prout pauciores pluresve lectos capiebat; neque ipſe id abnuo apud aliquos fuiſſe ſic appellatum, ſed quia in illo Athenæi convivio unuſquiſque in medium id proponere conabatur, quod infrequentius erat, atque aliquam ſcitu dignam raritatem habebat: iccirco exiſtimandum eſt illud perquam rarum extitiſſe, & ſicuti quæ gentes Romanis ſerviebant, cæteros ipſorum mores imitabantur, ita credere oportet, & in nominando, & in utendo triclinio eundem eſſe ſenſum ſecutos, quem & Regina urbium Roma ſequebatur. Atque de hoc ipſo cùm loqueretur antiquus,

&

& gravis ſcriptor Servius *in Commentario ad primum Virgilianæ Æneidos* dixit, *Veteres ſtibadia non habuiſſe ſed ſtratis tribus lectis epulaſſe* (unde triclinium ſterni dictum) atque eos errare, qui vocant triclinium ipſam baſilicam, vel cœnationem. Neque minus falluntur, qui putarunt tripodas illos, de quibus mentio eſt apud Athenæum ex Eubolo comico, & in quibus duo vel tres edentes repræſentantur in marmoribus vetuſtis fuiſſe triclinia; quandoquidem nulla ibi trium lectorum imago, neque accubitus conſpicitur, ſed ſunt dumtaxat ſepulchralium cœnarum effiges, de quibus tractant, qui ſepulchrales veterum ritus deſcribere ſunt agreſſi; & Vulpianus, qui apud Athenæum ejus vocis inſolentiâ offenſus eſt, tamquam indignum menſæ nomine reputavit. Neque verò alia forma tricliniorum, & accubitus eſt quærenda ab eâ, quam ex antiquiſſimo

Rhamnuſiano marmore nos primi in gymnaſticâ dedimus, & in quâ præter lectos tres, veſtigia ſatis manifeſta conſpiciuntur ejus menſæ, quæ quòd quattuor pedes haberet, uſus obtinuit apud Græcos, ut vocaretur τράπεζα. Hujuſmodi autem triclinii, & menſæ, tametſi non adeò frequentes figuræ inveniantur in marmoribus, arbitrandum eſt, id eveniſſe quod de pleriſque aliis majorum noſtrorum rebus, quæ quòd populares & vulgatiſſimæ eſſent, eas ad poſteros conſignare monumentis neglexerunt, ſicut locupletiſſimè in libello de rebus deperditis docuit nuper Guidus Pancirolus. Neque verò ſimile prædicto marmore quicquam aliud fictum, vel falſum repræſentari, quam ipſummet triclinium, atque accumbendi ſeu diſcumbendi morem tunc uſitatiſſimum, ut plenius in primo de gymnaſtica oſtendimus. Verùm etſi hæc ſatis comprobata videantur, illud tamen à ple-


pag. 421.



pleriſque in controverſiâ ponitur circa MARIÆ factum, ſcilicet utrum CHRISTUS ita jaceret, ſicuti pictura declarat, an potius ſederet, ſicut hactenus pictores omnes finxerunt. Pro quâ lite dirimendâ, (quæ aliquid facit pro intelligentiâ textus ſancti Euangeliſtæ Lucæ) duo ſunt conſtituenda; unum eſt haud potuiſſe aliter CHRISTUM fuiſſe collocatum, ſi quod Lucas capite ſeptimo, ſcripſit, verum eſſe debet: alterum eſt utrum Hieroſolymis tunc in uſu eſſet more Romano diſcumbentes epulari, an potius ſedentes. Quod ſpectat ad primum propoſitum, tria Euangeliſta dicit maximè ad rem noſtram facientia: quorum primum eſt MARIAM audiviſſe CHRISTUM diſcubuiſſe apud Phariſæum, atque ſtatim ingreſſam ad eum fuiſſe: ſecundum eſt illam ſtantem ſeſe penes illius pedes poſuiſſe retrò: tertium eſt ita ſtantem lachrymis ejus pedes laviſſe, capillis tei-

terſiſſe, atque unguento, quod ſecum attulerat, unxiſſe. Iam verò circa hæc omnia declaranda cæcutiſſe omnes hactenus ejus loci interpretes facilè unuſquiſque comprehendere poterit, qui illorum commentaria perlegere volet, excipio tamen duos graviſſimos juxtaque doctiſſimos Ieſuitarum familiæ viros FRANCISCUM TOLEDEUM CARDINALEM, necnon IOANNEM MALDONATUM, qui cùm rei difficultatem guſtaſſent, veritati proximius accedere novâ quâdam induſtriâ contenderunt, haud quaquam veriti adverſus imbibitam tenaciter pictorum falſitatem palam decertare, qui cùm contra Euangeliſtæ ipſius verba CHRISTUM ſedentem: Mariamque ipſam non retrò, ſed ante, neque ſtantem, ſed genibus humi procumbentem uſque ad hæc tempora depinxerunt, & ſeipſos, & alios (ſi ita loqui licet) deceperunt, præterquam enim quod vix imaginari poteſt huj-

juſ-

juſmodi omnia perfici à muliere potuiſſe, certum eſt etiam, neque à miniſtrantibus illud permiſſum iri debuiſſe, ſimulque indecorum valdè futurum fuiſſe, ſi mulier ſubtus menſam genibus ſeſe humi pro abluendis, & exiccandis CHRISTI pedibus ſtraviſſet; quæ omnia incommoda cùm evitentur triclinio, & accubitu noſtro, haud intelligere poſſum, cur debeant à quoquam ingenio, & guſtu prædito repudiari, eò maximè quòd nulla turpitudinis ſpecies in iis ſpectatur, quæ debeat ab eâ re credendâ quempiam pium deterrere, quinimo ſi accuratè ingreſſus mulieris expendatur, miniſtros, & accumbentes latere potuit, haud ſecus, atque ubi ſeſe in exteriore triclinii parte juxta pedes CHRISTI locavit: quòd ſi aliquid in illo accumbendi modo non ita laudabile fortè apparebat, quiſque ſibi illud perſuadere debet, etiam quæ indecora ſunt ob populi conſuetudinem

ſæpè

ſæpè omnem fœditatem amittere, nam mulierum aliquibus non citra notam ſponte convivii publici locum adire, ibique audere viro adhærere, eumque contrectare, & ungere proculdubio turpe, & indignum caſtitate CHRISTI potuiſſet videri, niſi mos propè omnium orientalium eam invitaſſet. Certè Maldonatus intelligere non potuit, quomodo dicatur ſtetiſſe mulier erecta, quaſi non eſſent lecti ſuper quos diſcumbebant ita alti, ut ipſi licuerit ſic ſtare, & pedes ejus lachrymis lavare, interpretans ſtare pro conſiſtere. Sed hujuſmodi oſcitantiam commiſit ob veri triclinii ignorantiam, quod pedes altos habuiſſe non eſt dubitandum, ut facilè ex ipſâ picturâ elucet; & Virgilius de Æneâ loquens accumbente, dixit initio ſecundi libri.

Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto.

Atqui Toledus Cardinalis ob longam,

gam, quam Romæ traxit moram, videndi, audiendi rerum vetuſtarum peritos uberem occaſionem habuit, forſanque noſtram ſententiam, & picturam compertam habuit, quòd eam jampridem cum doctiſſimis Jeſuitis, quorum conſuetudine delector magnoperè, communicaſſem, priuſquam publicarem, unde facilè conſentit toros tricliniorum ita altos extitiſſe, ut mulier nullo labore poſſet ſtans retrò pedes epulantis contrectare, lachrymiſque abluere: & certè licet vir doctiſſimus non explicatè docuerit diſcumbendi modum, attamen ex ejus verbis veritatem ſibi maximè omnium innotuiſſe patet. Itaque hoc jam conſtitutum ſit, triclinium dictum eſſe, quod tres lecti ſternerentur, in quibus ita jacerent, ut verſus menſam cubitis ſiniſtris innixi dexterâ manu uterentur, pedeſque in exteriorem partem protenderent, ubi miniſtri erant, & ubi ſtetit erecta MARIA, quemadmodum

dum diſertè ſatis, & copioſè alibi ex variis ſcriptoribus declaravimus, & ſicut ex imagine antepoſitâ clariſſimè elucet. Supra quid verò ſternerentur lecti, non eſt ita proditum, attamen licet conjicere ſæpius ſupra tabulata altiuſcula eſſe extenſos, quæ nonnumquam etiam apud Hebræos ex argento, aurove conflata fuiſſe colligitur ex primo capite Heſter, in illius magnifici convivii deſcriptione, quod pariter à Romanis factum teſtatur præ cæteris Plinius *libro* XXXIII. *capite undecimo*, fuiſſe verò facta lectiſternia primùm lignea conjicere licet ab eo quod narrat ex Seneca Agellius *libro duodecimo, capite ſecundo*, nempe Soterichum lignarium fabrum extitiſſe, qui lectos tricliniares ligneos faciebat, ob idque data eſt occaſio Adagii, ut cùm vellent rem exigui pretii, nec multi artificii ſignificare *Soterichi lectis aſſimilarent*. Nunc verò ſecundum propoſitum aggredior, ſcili-

ſcilicet an apud Hebræos, quo tempore CHRISTUS affuit cœnæ Phariſæi, mos fuerit diſcumbendi in tricliniis, quemadmodum Romæ, quâ de re cùm conſuluerim Vitalem Medicæum Florentiæ, artem medicam ſanctè, ac feliciter exercentem, rerumque Hebraicarum longè peritiſſimum, is mihi adeo doctè, & disertè reſpondit, ut in hujuſmodi gravi diſceptatione vix quicquam doctius, & elimatius deſiderari queat: quia tamen ab ſententiâ noſtrâ non nihil diſceſſiſſe viſus eſt, pro meâ confirmandâ neceſſe puto aliquid in medium afferre. Etenim dubitare minimè oportet, quin apud vetuſtiſſimos Hebræos varius convivia agendi mos fuerit, ſiquidem libro *Geneſ.* in celebri illo convivio, quod Ioſephus fratribus, aliiſque magnificè, dedit, omnes ſediſſe memorantur, ſimilis quoque moris *libro Iudith, libro primo Regum*, atque

atque alibi ſæpius mentio clariſſima habetur: atqui ſi Thobiæ, qui vixit ante captivitatem Babyloniæ liber legatur, ibi accubitus non obſcuram mentionem fieri cognoſcetur, quamquam fortaſsè dicere liceret tunc illum apud Aſſyrios vixiſſe, apud quos in uſu erat cœnantes accumbere. Jam verò de Trojanis, atque Tyriis ſimiliter exiſtimare debemus, cùm apud Virgilium *primo, & ſecundo libro* diſcumbendi conſuetudinis commemoratio fiat, ſicuti libro ſeptimo, non dubia memoria reperitur ſedendi ad menſas uſus ſub illis verbis

Hæ Sacris Sedes epulis; hic ariete caſo
Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.

Ubi quamquam in aliquibus contextibus legatur loco (conſidere) accumbere, attamen Servius eum locum interpretans dixit, Majores epulari conſueviſſe ſedentes, atque illum

lum habuiſſe morem à Laconibus,& Cretenſibus, ut Varro docuit *in libris de gente Populi Romani*, in quibus dixit quid à quâque traxerit gente per imitationem. Hæc autem ſedendi ad menſas conſuetudo Romanis certè illis vetuſtiſſimis diu, & in aliquibus occaſionibus uſurpata fuit, ſicut etiam monumentis relatum invenitur Alexandrum Magnum aliquando ſexcentos ut ait Athenæus, vel ſex mille ut eſt apud Euſtathium duces convivio excepiſſe, eoſque omnes ſedilibus argenteis ſedere feciſſe. Atqui poſterioribus temporibus tam florentis Reipublicæ quàm IMPERATORUM non eſt dubium nobiliores ſaltem accumbere conſueviſſe, idque præter innumeros Latinæ linguæ auctores marmora quoque teſtantur, ut locupletiſſimè aliàs demonſtravi, atque alii quoque docuerunt. Græcos pariter conſtat eundem accumbendi morem eſſe ſectatos, & quod turpius eſt, narrat

narrat Athenæus *matulas pro excipiendo à veſicâ exeunte vino geſtare conſueviſſe in triclinia, quas ſæpe ubi vino incaluerant ad capita frangebant,* introducto hoc more à Sybariticis populis, ſordibus omnigenis olim deditiſſimis. Verùm de Hebræis dubitatur an ſimiliter illi ad Romanorum imitationem accumbere potius, quàm ſedere ſoliti fuerint, ut hac ratione liceat exiſtimare CHRISTUM, ita fuiſſe locatum, ac propterea Magdalenam potuiſſe ſtantem retrò pedes illius lavare, exiccare, & ungere. Iam verò complura ſunt, quæ ex ſcriptoribus conſtat eos à Romanis fuiſſe mutuatos, & Ioſephus in libro antiquit. narrat Hebræos ſemper eſſe ſecutos ritus Romanorum, poſtquam ſub eorum ditionem devenerunt, modò non contrariarentur patriis legibus, & ut dicebam antea, manifeſtum eſt ex ſacris libris antè captivitatem Babyloniæ eam gentem in conviviis

tam

tam publicis quàm privatis ſemper ſediſſe. Verùm poſtquam in Babyloniam ducti fuerunt captivi utroque modo edere conſueverunt, ſenes ſcilicet ſedentes, juvenes verò accumbentes, ut mos erat Babyloniæ, veluti Rabbini tradiderunt, apud quos etiam legitur accubitum fieri ſolitum, vel ſtragulis ſupra terram extenſis, vel tapetibus precioſis, & pulvinaribus, ita ut cubitis innixi firmum corpus univerſum ſervarent; facta autem fuit deinde lex, ut tempore Paſchatis in duræ ſub Pharaone ſervitutis, liberationiſque commemorationem quiſque accumbendo epularetur, cæteris verò diebus liceret unicuique prout liberet ſedendo, vel accumbendo cœnare: ex quo patet apud Iudæos pariter accubitum glorioſum quandoque fuiſſe habitum. Porrò modus, quo Hieroſolymis in ſecundâ domo ſcilicet poſt liberationem

ab

ab Ægypto, atque potiſſimùm tempore Chriſti convivia fierent, non ita compertus eſt; illud verò conſtat, & in urbe ſemper quinque linguarum extitiſſe uſum, *Hebreæ, Chaldeæ, Syriacæ, Græcæ, & Latinæ*, quarum Syriaca, in frequentiori uſu erat. Hebræa verò non niſi à doctis, & in diſciplinis comparandis uſurpata, ſicuti olim Romæ Græca, & nunc paſſim Latina. Fuit autem in Judæam Syriaca lingua introducta; quando decem tribubus à Salmazaro Aſſyriorum rege captis, in earum locum miſſæ ſunt in Sammariam, parteſque ei circumvicinas Aſſyriorum coloniæ, ut legitur XVII. *cap. quarti libri Reg.* qui ob id ab Hebræis deinde ſemper ſunt Samaritani vocati, atque ideo averſati, quòd Idololatræ eſſent, Moſaicòſque ritus minimè, ut par erat, obſervarent, etiamſi à Sacerdote illuc in id miſſo inſtructi fuiſſent. Hunc ergo in modum Syriaca lingua apud Hebræo

indu-

ducta, propagata, & conſervata eſt quemadmodum Chaldæam Syriacæ valdè ſimilem ipſimet Iudæi ex Babyloniâ, ubi illa uſurpabatur, ſponte tranſtulerunt. Poſt hoc verò Græcis rerum potitis, Rabbini doctiores ipſorum linguam ita apprehenderunt, ejuſque copiâ, & ſuavitate ſunt delectati, ut Hebraicæ ipſam æquarent. Unde pariter ſucceſſit, ut plerique eruditiores non ſolùm Græcè loquerentur, ſed etiam ſatis eleganter ſcriberent, quales fuerunt *Paullus*, *Ioſephus*, *Philo*, atque alii plurimi. Romani poſtremò cùm Iudæam ſubjugaſſent, neceſſe fuit, ut ille populus ipſorum linguam latinam addiſceret, eâque pro negociis agendis uteretur; quæ etiam fuit ratio, quamobrem titulus Crucis Chriſti Hebraicè, Græcè, atque Latinè ſcriptus fuerit: illud tamen de hiſce linguis, & potiſſimum de Syriacâ verè conſtat, ipſam fuiſſe omnium Hieroſolymis uſurpatiſſimam, at-

que multis Græcorum vocibus permixtam, ſive id fuerit ob Græcæ delectationem, quâ Judæi afficiebantur, ſive aliâ de cauſſâ: ſolent enim qui peregrinis linguis gaudent, ſæpe illarum vocabula propriis commiſcere. Ergo hiſce conſtitutis, cùm Judæi linguam Romanorum, Græcorum, & Aſſyriorum, apud quos in uſu erat accubitus, uterentur, veriſimile eſt quoque eoſdem accumbendi morem ab iis accepiſſe, quod forſan à pervicacibus negari potuiſſet, niſi complures Evangelii loci, ubi diſcubitus, & accubitus fit mentio, apertè teſtarentur. Utrum autem accumbendi modus Hieroſolymis eſſet, qualis apud Romanos, in triclinio ſcilicet lectis tribus altioribus circa menſam ſtratis vel ligneis, vel argenteis, aut aureis, quales habuiſſe aliquos narrant Plinius, Athenæus, & alii, haud ita clarum eſt. Sed ut omittam Iudæos veteres, apud quos forſan vox triclinii uſitata in

ſacris

ſacris libris cubiculum dumtaxat, in quo cœnabatur, ſignificare poteſt, de quo Vitruvius *libro Architecturæ quarto tractavit*, certè cùm in Euangelio nominetur Architriclinus, negari nequit Iudæos, imitatos eſſe Romanos, & Græcos, in quorum conviviis, erant ἐπιάρχαι, id eſt, convivii principes. Cæterum doctiſſimi viri, qui accubitum quidem in conviviis Phariſæorum conceſſerunt, ſed more Hebræorum ſtratis ſupra terram lectis, non autem altè locatis more Romano, in eam devenerunt ſententiam potiſſimùm, quòd contextus ſacrorum librorum Syriacus ubi de architriclino, & triclinio legitur, ſimpliciter accubitum, non autem modum ſignificet, & quod Phariſæi juxta præceptum *Levitici capite* XVIII. conarentur in cunctis ſeſe à ritibus quibuſvis peregrinorum alienare, maximè Romanorum, quos quotidie intuebantur Idolis ſervire uſque adeo à lege damnatis.

Quantum verò ad Magdalenę actum, animadvertentes quàm difficile ſit eam ſecundum Lucæ litteram accommodare, ſi lecti ſupra terram dumtaxat ſtatuantur, ad evitandum eum ſcopulum imaginati ſunt, primùm ingreſſam Magdalenam rectam aliquo tempore illachrymantem ſtetiſſe, demum ſeſe inclinaſſe genuflexam, ſicque laviſſe Chriſti pedes, terſiſſe, atque unxiſſe. Verùm pace horum, cogor ab hujuſmodi placito longè diſſentire, ſimulque oſtendere figuram triclinii, & accubitus Chriſti non aliam potuiſſe eſſe, quàm à nobis deſcriptam, atque tunc temporis paſſim à Romanis uſitatam. Quis enim ignorat eam ſemper viguiſſe conſuetudinem, ut populi principum mores, quantum fieri poteſt, imitentur? maximè viri nobiles, & in exiſtimatione habiti, quales erant Phariſæi; quos ſi non ob aliud ſaltem ut Herodi & Pilato tunc pro Imperatore

re Tiberio gubernantibus, ſimulque Romanorum mores, ut ait Ioſephus introducere ſatagentibus, rem gratam facerent, veroſimile eſt conatos in accubitu, qui nil legi repugnabat, ſicuti & in multis aliis forſan minoris momenti Romanos imitari, quod Chriſti tempore omnes Orientis nationes faciebant. Quòd porrò Hebræi in aliis pleriſque Romanorum ſequerentur ritus, abſque multo labore indicabo; tum id quod imaginantur, de Mariâ haudquaquam conſiſtere poſſe monſtrabo. Itaque non eſt negandum poſt redactam à Pompejo in Romanorum poteſtatem Iudæam, & poſt Archelaum juſſu Auguſti in exilium expulſum, eam nationem per procuratores fuiſſe gubernatam, quâ occaſione Hieroſolymis, atque in omni Iudæâ innumeri milites, cives, atque equites Romani omni tempore habitabant, quos æquum eſt exiſtimare ſecundùm Urbis ritus vixiſſe atque ipſis

Iudæis, ut contingere ubique ſolet; eos communicaſſe, neque id Hebræos potuiſſe aſpernari, ne multò magis odium principis ſibi adſciſcerent. Et ſi rectè expendantur quæ de Romanorum moribus in conviviis ſcripſerunt *Varro*, *Cicero*, *Seneca*, *Plinius*, *Plutarchus*, *Suetonius*, *Galenus*, *Athenæus*, & alii, procul dubio intelligere concedetur ferè omnes eos tempore Salvatoris Noſtri fuiſſe à Iudæis obſervatos, veluti ex variis Evangelii locis colligere licet. Nam ut ante dictum eſt, triclinii conclavis, & cœnaculi nomina clara habentur in Evangelio; haud ſecus atque à prophanis rerum Romanarum ſcriptoribus memorata reperiuntur. Habebant Romani, ſicuti recitant Plinius, & Martialis, in more patinas grandes adeo uſurpare interdum, ut poſſent ex unis eis convivæ accipere, quod ſimiliter feciſſe Chriſtum in cœna diſcipulorum memoriæ man-

mandatum eſt. quod etiam dixi in primo de gymnaſticâ Romanos ferè ſemper lavari, ſoccoſque reponere ſolitos prius quam menſæ accumberent, idem factitaſſe Salvatorem nemo inficias ire valet. Iam de ungendi uſu poſt balneum, & ante cœnam copioſiſſimè ſcripſit præter Clementem Alexandrinum Athenæus, *quintodecimo libro Dipnoſophiſt.* apud quem proprium, & odoratum unguentum ſingulis corporis partibus dicatum legitur, ut ob id Maria quoque Romano, & Græco more utens, voluerit, & caput & pedes Chriſti, tam viventis quàm mortui ungere. qui quaſi increpans Phariſæum quod ſimiliter non feciſſet, certum indicium attulit, ſibi placuiſſe Romanorum, & Græcorum ungendi conſuetudinem obſervari. Et quod dixit Chriſtus de illo, qui accedens ad convivium nuptiale, lacernâ adhuc indutus veſtem nuptialem non induiſſet, dubio procul ex riti-

bus Romanis totum fuit captum. De loci nobilitate tum in pontificali, tum in civili, tum in conſulari convivio habebant Romani, ut narrat Plutarchus in Sympoſiacis, atque Macrobius, non exiguum diſcrimen, ut interdum medius medii lecti, interdum imus ejuſdem, atque primi nobiliores reputarentur, cujus rei illuſtre exemplum eſt id, quod dixit Chriſtus adverſus illos, qui primos accubitus ambiebant, in quo accubitu ita locabantur, ut poſſet facilè quiſque reclinare ſeſe, & recumbere in ſinu proximioris, quemadmodum feciſſe Joannem ipſemet in ſuo Euangelio teſtatur, qui cùm carus eſſet magiſtro, non eſt mirum ſi penes ipſum accubuit, veluti Romanis uſitatum erat in privatis, & publicis conviviis uxores, filios, aliasque perſonas, chariores juxta ſeſe collocare. Cùm igitur ex his, ac pluribus aliis certò conjiciatur Iudæos fuiſſe Romanorum mores

res

res in conviviis maximè ſectatos, cur non etiam in tricliniis conſtruendis, atque altioribus faciendis eoſdem non ſint imitati, cauſſam nullam video. Neque moveor ab hac ſententiâ, quòd Syriacus Evangelii contextus ambiguus videatur, potiuſque vetuſtum Hebræorum ſuper terram accubitum, quàm in altis toris inſinuare videatur, quandoquidem in miraculo quinque panum, & duorum piſcium ita facile eſt accipere, pro quo faciendo juſſit, ut turbæ ſuper fœnum diſcumberent; at in convivio nobili coram ipſis Romanis idem facere dedecus planè non exiguum attuliſſet; Præterea ſi Judæi interdum Chriſtum murmurarunt, quaſi diſcipuli ejus non lavarent manus, antequam menſæ accumberent, multò magis fuiſſet immurmurandum, ſi accubiſſent lectis, & cervicalibus ſuper terram conſtratis, non autem altè poſitis. Qui verò Syriacè Euangelium ſcri-

pſit, vel tranſumpſit, cùm forſan nomen ſibi haud ſuppeteret proprium; quo explicare poſſet verum Romanorum triclinium, maluit quod habebat uſurpare, quàm rem penitus indeclaratam relinquere. At nihil hoc eſt, præ ipſâ Magdalenâ ingrediente, & ſtante retrò ſecus pedes ejus, quæ omnia uti accommodari nullo pacto queunt ſi ſupra terram ſint immediatè poſiti lecti, ſic triclinio noſtro judicandum unicuique permitto, quàm aptè congruant. Neque enim credibile eſt, ſi ſeſe mulier genibus in terram inclinaſſet fuiſſe id Euangeliſtam taciturum poſtquam minimè ſilendum putavit, quòd ſtaret retrò, & ſecus pedes, lachrymiſque eos rigaret: nam qui tantâ diligentiâ retulit, quæcumque ibi contigerunt, non debebat etiam genuflexionem omittere, & multo minus poſtquam jam dixerat ipſam ſtetiſſe. Quare jam ſatis monſtratum arbitror Chriſto accumbente

te

te eum ita altè fuiſſe locatum, ut MARIA, quæ nec paruæ ſtaturæ erat, potuerit ſtans erecta rigare ipſius pedes lachrymis, nec non manibus eos contrectare, & capillis ſiccare, demumque ungere. Quod totum luculentiſſimè exprimi in antepoſitâ triclinii noſtri figurâ, neminem negaturum confido. Cum huc uſque oratione perveniſſem, jamque ea ad prælum miſſionem acceleraret, oblata eſt occaſio Alphonſi Salmeronis olim Ieſuitæ doctiſſimi prolegomena in Sacroſanctam Evangelicam hiſtoriam ſingulari eruditione referta legere: atque inter legendum cùm mihi Canon quadrageſimus ſextus prolegomeni undecimi occurriſſet, ubi diſertiſſimè de univerſâ accubitus ratione, deque Magdalenæ in lavandis atque ungendis Chriſti pedibus ſitu, nec non de Ioannis in ejuſdem Chriſti ſinum recubitu diſputat, incredibilem quandam lætitiam ſimul, & admira-

 tionem

tionem mihi peperit, etenim lætatus ſum; quod meas cogitationes, quas ſemper novas, & forſan à nemine alio propoſitas exiſtimavi, à viro ſapientiſſimo & rarâ doctrinâ prædito ita clarè confirmatas, quaſique inconcuſſas redditas invenerim. Admirationem verò cœpi non exiguam quomodo fieri potuerit, ut in re uſque adeo obſcurâ nec vetuſtâ ſimul nos convenire, ac in nullâ re diſcrepare licuerit; Etſi enim quo tempore gymnaſtica mea in lucem exivit, is adhuc viveret, quippe quem ſæpius concionantem Romæ auſcultaverim, ubi eos libros dum Cardinalis Farneſii medicum agebam, & compoſui, & in lucem edidi, attamen utrum eos viderit haud quaquam affirmare audeo. Neque verò credibile eſt me ab ejus ſcriptis, quæ diſſerui de accubitu accepiſſe, cùm ea hactenus latuerint, neque ipſum eâdem de re ita diligenter ſcripſiſſe, ne ſomniare quidem valuerim. Unde quæ ſolet

eſſe

eſſe veritatis ingens vis, puto eodem ſpiritu ambos nos ad ea ſcribenda fuiſſe impulſos, & propterea quicquid eâ de re dictum fuit pro vero, & irrefutabili habendum eſſe; ea namque eſt gens JESUITARUM, ut in quâlibet diſciplinâ, immo in totâ rerum tam divinarum, quàm humanarum naturâ, nihil ita rarum excultum, & reconditum habeatur, quin ab aliquo ipſorum ſit perfectiſſimè elaboratum, & feliciſſimè poſteris ipſis traditum.

Nomina Scriptorum qui à

PETRO CIACCONIO
Fulvio Urſino, & Hieronymo Mercuriali citantur.

V.

AEſchylus.
Afranius.
S. Ambroſius.
Apulejus.
Athenæus.
Æſopus.
Agretius.
Alexander Trallianus.
Alexander Aphrodi-enſis.
Ammianus.
S. Auguſtinus.
Ariſtoteles.
Auſonius.

B.

Budæus.

C.

Callimachus.
Caſaubonus.
Cato.
Catullus.
Cicero.
Cor. Tacitus.
Cor. Celſus.
Clemens Alexandri-nus.
Caſſiodorus.
Capitolinus.
Columella.
Claudianus.

D.

Dio Caſſius.
Dioſcorides.
Digeſta ſeu *Pandectæ*.
Dionyſius Halicar-naſſeus.

E.

Evangelia.
Euſtathius.

F.

Feſtus.
Flavius Vopiſcus.
Fulgentius.

G.

Gajetanus Cardi-nalis.
Galenus.
Gellius ſive Agellius.
Guidus Pancirolus.

H.

S. Hieronymus.
Heſychius.
Horatius.

Ho-

Homerus.
Hippocrates.
Heſiodus.

I.

ISidorus.
Interpres Ariſtophanis.
Julius Pollux.
Juvenalis.

L.

LAmbinus.
Lampridius.
Ligorius.
Livius.
Lucilius.
Lucianus.
Lucretius.

M.

MAcrobius.
Martialis.
Marcellus.

N.

NIgidius.
Nonius.

O.

OVidius.
Onuphr. Panuinus.

P.

PEtronius Arbiter.
Philo Judæus.
Philander.
Plutarchus.
Plinius Junior.
Plinius.
Plautus.
Perſius.
Porphyrio.
Procopius.
Pomponius.
Plato.
Propertius.

S.

SEneca.
Servius.
Strabo.
Statius.
Sex. Pompejus.
Sidonius.
Spartianus.
Suetonius.

T.

TErentius.
Tertullianus.
Theophraſtus.
Trebellius Pollio.
Tibullus.
Theocritus.
Turnebus.

V.

VArro.
Vitruvius.
Val. Maximus.
Virgilius.
Velius Longus.
Vellejus.

X.

XEnophon.
Xiphilinus.

NO-

NOMINA SCRIPTORUM

Qui emendantur vel explicantur.

A

Gellius emendatus. 197

Ambroſii locus illuſtratus. 104

Apulejus emendatus. 151. 298. 236. & *explicatus.* 371

Athenæus emendatus. 212

B

Budæi error notatus. 22

C

Capitolinus emendatus. 127 & 232

Cicero emendatus. 38 & 158. *Ejuſdem locus apud Macrobium explicatus.* 66

Cornelius Celſus emendatus. 142

D

Dio Caſſius emendatus. 251

I

Iſidori de prandio error. 164

L

Lampridius emendatus. 140. 215. 218. 232

Lucæ Euangeliſtæ locus explicatus. 104

M

Macrobius emendatus. 186 & 268

Marcus Euangeliſta explicatus. 190

Marci & Lucæ loci explicati. 190

Martialis explicatus. 71. 131. 152

Matthæus Euangeliſta explicatus. 102

P

Plautus emendatus. 39 & 253

Plinius emendatus & explicatus. 21. 22. 33. 34. 154. 188. 192.

192. 206. 288. 289. 290. 317.
Plutarchus explicatus. 46

S

Sacra Scriptura loci quidam explicati. 98. 99. 100. 101.
Servius emendatus & explicatus. 48
Servii error de tricliniis. 202. 211
Sidonius emendatus. 223. 256
Suetonius emendatus. 62. 380

T

Tertullianus emendatus. 181. 182. *explicatus.* 356
Trebellius Pollio emendatus. 214. *Salonini vitam ſcripſit, quæ Capitolino adſcribitur.* 240
Tibulli locus emendatus. 270

V

Varro emendatus. 26. 154. 297. 338. *explicatus.* 55. 56
Virgilius explicatus. 15. 26. 249. 250
Vitruvius emendatus. 209

NO-

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

A pedibus ſtare, & ad pedes, quid. pag. 70. & 222, 223
A ſummo ad infimum bibere. 328
Abaci conviviorum. 30. 297, 298
Ablutio Romanorum ante cenam. 38, 39
Accumbendi modus apud veteres. 252, 253
Acroamata inter cenandum. 74
Ad cyathum & vinum ſtare, quid. 70
Adjicialis cena unde dicta. 175
Æſopi hiſtrionis patina, & ejus luxus. 57
Ætatem ferre, quid. 66, 67
Africanus quantum argenti Carthagine Romam advexerit. 31
Alabaſtrum unguentis ſervandis. 269. & ſeq.
Albati cenabant Romani feſtis diebus. 240
Alexander M. quadringentos duces aliquando in ſellis aureis & argenteis veſte purpureâ ſtratis convivio excepit. 244
Aliptæ ſervi & unctores. 136
Ampulla in balneo, quid. 149
Anaclinteria, quæ. 221. & ſeq.
Analecta quæ. 381
Antiochi factum. 137
Antiquus mos in fine convivii. 370. & ſeq.
Antiſigma, quid. 256
Apicii luxuria. 59
Apicius millies ſeſtertium in culinam congeſſit.

geſſit. ibid.
Apicius quod in centies ſeſtertium vivere non poſſet veneno vitam finivit. ibid. ejus cenæ. 192
Apodyterium, quid. 158
Apophoreta, quid. 91. & 379, 380
Apoxyomeni ſignum celebre. 153, 154
Apponere & Auferre menſam, quid. 273. & 278
Aqua calefacta 334. nive refrigerata ad potandum antiquis in uſu. 332
Architriclinus rex vini, ſeu magiſter potandi. 105, 106, 344, 397
Argentum & aurum, pro vaſis aureis & argenteis. 31
Ariſtoteles iis qui coitu uſuri erant veſpere cœnare interdixit. 386
Aſinius Celer mullum octo millibus nummum mercatus eſt. 63, 64
Aſinius Gallus menſam citream decies ſeſtertium emit. 22, 23
Atrium unde dictum. 348, 349
Aulæa. 204, 400
Auroclavatæ veſtes & mantilia. 304

B.

BAlneum unde dictum. 124. quis primus domi ſuæ fecerit. 129
Balnea & Balneæ ut differant. 128. Balneorum cellæ tres. 141. Balnea mixta. 154. Balnea virorum & mulierum quis ſeparaverit. 155.

Bal-

Balnea mulierum argento ſtrata. 156. Balnea uſque ad quæ tempora perduraverint. 157
Balnearii fures. 158
Balneatores qui, & quid exigerent. 158, 159
Bibere ad numerum litterarum nominis amici, vel amicæ. 324
Bibere pro ſalute imperatoris. 326
Biclinium. 208. 243

C.

C. Cæſar Auguſtus centies ſeſtertium cenavit uno die. 62, 63
Cæſaris cena notabilis. 90. ejus epulum publicum. 212, 213
C. Caligulæ cena una quanti conſtiterit. 62, 63. ex auro panes convivis appoſuit. 89
Calix unde dictus. 334
Cantharus. 368
Capis & capula quid. 297
Capri effigies frequentiſſima in poculis. 363, 366
Capſarii in balneis, quid. 157
Caput cenæ quod. 310
Cartibulum quid. 297
Caſtrare vina. 68
Catinus. 359
Cena unde dicta. 170. prandium dicta apud veteres. ibid. ejus hora. ibid. Cena recta. 174. Cena pura. 189. ſine ſanguine. ibid. dubia & ebria. 191. Cenæ pater quis. 339. Cenæ finis. 376. Cena Cleopatræ. 182, 183.

Cenæ Dominicæ deſcriptio, & de eâ conjectura. 97, 98, 99. 100. Cena qua hora ſumeretur. 170. Cenæ privatæ opiparæ. 182
Cenæ adjiciales quæ. 175. Cereales & Capitolinæ & Populares. 178. Cenæ Saliares & unde dictæ. 177. Augurales, Triumphales, Pontificales. ibidem. Natalitiæ. 180. Ferales. ibid. Cenæ ſuper platano. 205
Cenæ nuptiales. 179
Cenaculum & cenatio unde. 1
Cenationibus nomina Deorum impoſita. 219
Cenationum laquearia verſatilia. ibid. & p. 1
CHRISTUS quo in loco in ultima cena accubuerit. 104, 105. calciamenta geſtavit. 103
Chryſendeta pocula, quæ. 366
Ciborum ordo. 54
Cillibæ, ſeu Cibillibæ menſæ, quæ. 26. 290, 291
Circumpedes pro ſervorum obſequiis. 224
Citharœdi in conviviis & ſervi muſicarii. 372. 374
Cleopatræ luxus. 185
Clodius Æſopi hiſtrionis filius, convivis uniones abſorbendos dedit. 58
Cochleare antiquum. 370
Colum quid. 333, 334
Comeſſatio, & unde dicta. 200, 201
Comœdiæ in conviviis agebantur. 74, 76
Commodi Imp. crudele facinus. 140, 141
Conjectura de Senecæ loco. 24
Convivæ nobiliores ut honorabantur. 283. Convivæ mappas afferebant. 29, 302. poſt cenam

cenam domum lucernis deducebantur. 378
Convivator quis. 339
Coquos priſci domi non habebant. 347
Corollaria data à convivii dominis. 88
Coronæ ex floribus in conviviis. 43. 264. eas collo & brachiis aptabant convivæ. 43. 265, 266. Coronæ ad prohibendam ebrietatem. 264. ex ramentis argenti. 265. poculis impoſitæ. 266
Craſſi epulum publicum. 213
Cubiculum. 1
Culcitæ prius tori dictæ, & unde. 14, 15. 225. Culcitæ pulvini ſeu pulvinaria dictæ. 15. quibus pellibus ſternerentur. *ibid. unde dictæ.* 18
Culina apud antiquos ubi. 349
Cyathus, quid. 70, 71
Cylibantum, quid. 297
Cymbala. 374

D.

D. pro X. notæ. 23
D. Dapalis cena quæ, & unde dicta. 176, 177
Dapſilis & dapaticè. ibid.
Delphicæ menſæ pro abacis. 299
Dictator convivii. 339
Diæta pro cenatione. 219
Didii Juliani illiberalitas. 200
Diei diviſio. 121, 122
Diſcipuli Domini loti, uncti, & cum veſte cenatoriâ

natoriâ cenæ ultimæ accubuerunt. 99, 100.
calciati incedebant. 103
Domini noſtri Servatoris cena, & ſuper eà loci ſacræ ſcripturæ explicati. 97, 98. &c.
Dominus convivii quis. 48
Dominia pro conviviis. 197
Druſillanus Claudii Imperatoris ſervus lancem habuit quingentarum librarum argenti. 32

E.

ELæotheſium. 136
Elagabali cenæ. 192, 193
Elagabalus lotis linteaminibus nunquam utebatur. 305. lectos tricliniares & cubiculares ex argento ſolidos habuit. 8. 231. Paraſitos ſæpe violis & floribus ſic oppreſſit ut animam efflaverint. 267. Paraſitis ſæpè ceream, ligneam, eburneam, nonnunquam etiam marmoream ac lapideam cenam exhibuit. 218. Voluptatis cauſâ ſæpe calvos, luſcos, podagroſos, & ſurdos, ad cenam vocavit. 256
Eleatri prægustatores dicti. 344
Elephanti in convivia inducti. 76
Epulæ ut dividebantur. 160
Eſcariæ menſæ. 26

F.

FActiones quattuor coloribus diſtinctæ. 231. 332

Fannia

Fannia lex de parſimonia. 194
Ferales cenæ. 180
Fercula quæ convivio inſerebantur tibicen præcedebat. 73. quoties mutarentur. 281. 309
Feminæ Romanæ argenteis ſoliis in balneis aliquando utebantur. 156
Feſtis diebus lautius epulari ſolitum. 286
Figulis ſalinum apponere religioſum. 276
Folles pro pulvinis. 236
Formula Romanorum in propinationibus. 330. & 331
Forum aleatorium. 376
Franciſcus Toletus Cardinalis laudatus. 422

G.

GAllienus concubinas ſecum accumbentes habuit. 245
Gallienus aureis mantilibus ſtravit. 303
Gajetanus Cardinalis notatus. 397
Gemmæ in poculis antiquorum. 363
Gladiatores in convivium recepti. 85
Græci quem locum judicabant honeſtiſſimum cùm diſcumbebant. 44
Guttum quid. 149

H.

HAdriani Imperatoris factum. 126
Hadrianus Imperator publicè cum omnibus lavabatur. 126. primus balnea virorum ac mulierum ſeparavit. 155

He-

Hebræi poſtquam in poteſtatem Romanorum venerunt, ſemper eorum ritus ſequebantur. 430
Hermogenes maximus mapparum fur. 302
Heroës aquâ marinâ abluebantur apud Homerum. 138
Hexaclina & heptaclina ſtibadia quæ: 11. 12
Homeri tempore cenaturi ſedebant. 387
Horæ apud veteres quomodo intelligantur: 172.173.

I.

JEntaculum quid. 160. 161. idem pro prandio. 162. unde dictum. ibid.
In bello nō eſt veriſimile ullos accubuiſſe. 405
Indi ſtrigilibus hebeni glabris uſi. 152
In robore accumbere quid. 233
In ſinu recumbere quid. 50
In ſummo & imo diſcumbere. 49
Inter potandum conviva poculum prægustatum alter alteri porrigebat. 329
In tricliniis quot ſolerent diſcumbere. 52 & 53
Infra & ſupra diſcumbere. 50 & 51
Joannes Maldonatus laudatus. 422
Joannem ſupra pectus Domini recubuiſſe quomodo intelligatur. 104
Jovis epulum. 246
Judæi niſi loti cibum non ſumebant. 99. ſuper hoc loci Marci & Lucæ. ibid.
Julius Cæſar. Centum & L. hominum millibus uno tempore cenam paravit. 90 in qua VI millia Murænarum appoſita. ibid.

L.

LAbrum. 141

Lactucæ cenam inchoabant. 311
Lænis utebantur Romani in conviviis. 239
Lagena ex quo fiebat. 369. Laguna antiquis dicta. ibid.
Lagynophoria feſtum. ibid.
Lambinus notatus 395
Lampridii locus,& de eo conjectura. 165. 166.
Lances argenteæ Romanorum. 31
Laneis aut lineis vinculis tempora,& frontem vincire ſoliti ad dolores capitis averruncandos. 401. 402
Laquearia verſatilia. 1. & 218
Lavationis hora. 129. 130
Lectus Varroni unde dictus. 6. 7. Græcis λέκτρον. 7
Lectos quis primus teſtudine & argento veſtierit. 8.228. lectos ex argento ſolidos quis habuerit. 8. 9. lectorum fulcra ex quâ materiâ. 9. lecti ſine fulcris. 10. pluteis muniti ibid. qui unum aut duos tantum cubantes caperent. ibid. Lecti Punicani qui. 14. lapidei & lignei. 226. & 227. aurei 229 humiles minus honeſti erant. 13. lectorum tricliniarium longitudo. 220. lectorum culcitæ quibus implebantur. 14. 15
Lectiſterniator. 202
Leges Æmilia, Antia & Julia de parſimonia. 196. & Orchia & Didia. 199
Licinia lex. 195
Ligorius maximæ auctoritatis antiquarius. 392. 393
Linum asbeſtinum ad colligendos cineres in uſtrinis. 304. ignibus non abſumitur. ibid.

Locus convivii. 1
Locus Conſularis in convivio apud Romanos, quis 44, 45
Lucernæ tricliniares. 377
Luculli cena extemporalis. 57
Ludicra veterum ſaltatio ſuper utres vino vel flatu plenos. 86, 87
Ludiones in conviviis. 75
M.
M. Agrippa quot balnea populo gratuita præbuerit. 145
Magdalia quæ. 371. & 372
Magiſter convivii. 338
Magnorum virorum lecti quales. 13. ad eos gradibus aſcendebatur. ibid.
Majoribus poculis potare quid. 331
Mantilia unde dicta. 28. & 302. ſingulis miſſibus mutata. 303
Manupretia vaſorum ingentia. 32. 33
Manus per ſingula fercula abluebant antiqui. 307.
Mappæ tricliniares. 304
Mapparum fures. 302
Mariæ Magdalenæ Hiſtoria. pag. 414. & ſeqq.
Marmor antiqui convivii. 275
Marmor verum accumbendi modum, flabellum, ut & puerorum & puellarum miniſtrantium veſtitus repræſentans. 19
Maximinus ſenior XL libras carnis uno die comedit. 323
Medius locus inter convivas honoratior. 46. 47

Mediaſtinus quis. 204. 381
Melinitio cenæ, 310
Mellita unius cenæ decem millibus ſcutatorum conſtiterunt. 65
Menſæ apud antiquos prope balneum erant ſitæ, & quâ ratione 403
Menſa unde dicta. 26. 279. menſa tripes pro menſa quattuor pedum. 295. menſæ bipedes & tripedes. 27. quadratæ & rotundæ. 25 & 291. perpetuæ. 3. menſæ citreæ rotundæ magnipretii. 11. 20. 292. mantilibus ſternebantur. 28. apud Græcos linteis non operiebantur. 300. menſæ duæ apud Romanos. 290. menſæ ſecundæ. 55. & 312. *menſa* tertia. 314. menſæ etiam ut fercula mutatæ. 281. menſæ ſingulis ſingulæ appoſitæ in Heroum conviviis. 277. menſæ pro epulis. 281. menſarum luxus & ſumptus ingens. 61 & ſeq. menſæ poculorum. 72. menſæ Delphicæ pro abacis. 299. menſæ pro diſcis appoſitæ. 53. & 281. menſis coronæ argenteæ, aureæ, & gemmis diſtinctæ addebantur. 25. menſas vacuas tolli nefas. 286
Merenda quid, & unde dicta. 169
Metellus Pius toga picta cenavit amictus. 40
Milliarium quid. 337
Mimi perſonati in convivia inducti. 79
Miniſtri tricliniares in veteribus marmoribus apud Fulv. Urſinum. 344. 345. coronati fercula inferebant. 73. linteis ſuccincti ſerviebant in antiquis conviviis. 19. 349
Miniſtri fercula inferentes coronati ac cum tibicine procedebant. 73

Miſcere pro temperare. 319.
Modus vini ſeu bibendi menſura apud Romanos & Græcos. 321. & ſeq.
Modiperator & Magiſter convivii. 338
Molas in Tiberi quis primus conſtruxerit. 318.
Moriones in conviviis. 81
Mulieres accumbebant in ſinu eorum qui eas amarent. 50
Mulier peccatrix ubi ſteterit in cena Domini 224. 225. 414.
Mullus quinque ſeſtertiis emptus. tres alii triginta millibus nummum. 64.
Mulieres ſedentes cum viris accubantibus in conviviis Romanorum. 245
Murrhina vaſa à Romanis quanti empta. 35. 36
Muſcas exigere flabello in conviviis ſolitum. 19. 274
Muſicalia inſtrumenta in conviviis. 75. 372.

N.

NAni & Nanæ in convivium animi gratia receptæ. 82
Nardus piſticus apud S. Joannem ut intelligi poteſt. 261
Nardino unguento caput & pedes ungebantur. ibid.
Natalitiæ cenæ. 180
Nepotini ſumptus. 89
Nero capidem habuit CCC ſeſtertiis emptam 36
Numerus convivarum apud veteres. 44. 214 & ſeq. (325.
Numerus poculorum & quoties biberent. 324
Nuptialis cenæ deſcriptio. 179

O.

OBſonator ſervus. 347
Odores in conviviis. 74. 75
Oeci. 222
Offa penita quid. 191
Onyx pro alabaſtro. 269
Orbes & quadræ pro menſis. 25. 26
Ordo convivarum diſcumbentium. 47
Oſtrea ſingula mille nummis empta. 64
Ova in circo, & Pompa Cereris 55. in menſæ initio & in ſecundis menſis. 54. 309

P.

PAllia in cenis. 238
Panes ex auro à Caligulâ convivis appoſiti. 89.
Par impar ludere. 376
Paraſceve pro cenâ purâ. 190
Paraſiti ubi accumberent. 250
Parochus quis. 339
Partes in conviviis quid. 284
Paropſis vas eſcarium. 358. pro vili obſonio uſurpatum. ibid.
Patera. 367. pateræ unde dictæ. 329
Patina. 354
Patella. 357
Patricii ubi lavarentur apud Romanos. 126
Paullus Rhamnuſius laudatus. 393
Pedum ablutio etiam poſt cenam. 308
Pelvis unde dicta. 307
Peniculus unde dictus 301
Periſtromata & peripetaſmata. 16. 17
Perpetuæ menſæ apud Virgilium quæ. 4.
Perſis quis locus honoratior cùm diſcumbunt. 44.

Per-

Perſicorum malorum pretium. 65
Petrus Faber laudatus. 416
Philander oſtendit antiquos in ſtratis cœnaſſe. 386
Philonis Iudæi locus. 93. 94
Pincerna ſeu pocillator expreſſus. 94
Piſcium quorundam pretia ingentia. 63. 64
Piſcinam aquæ calidæ quis primus Romæ inſtituerit. 144
Piſones prius dicebantur piſtores. 317
Piſtores dulciarii & Lactarii, 346. piſtores apud priſcos Romanos nulli. 316
Piſtrinum unde dictum. 318
Pluteus apud Suetonium an pro abaco ſit poſitus. 224
Pocula ærea apud antiquos in uſu. 352. pocula convivis apponebantur 73. pocula vini coronabantur. 266
Poculum boni dæmonis. 287
Poculorum variæ icones. 364
Pompejus lectos tricliniares tres ex auro Romam adduxit. 9
Pomponius vinum centum & quinquaginta annorum Caio Imperatori apud ſe cenanti appoſuit. 68
Potare ſextantes & deunces quid. 71. 321. 322
Potandi modus apud veteres. 328. & ſeq.
Præfectus vigilum Judex capſariorum. 157
Prægustatores cur dicti eleatri. 344
Prandia apud veteres. 162. prandium unde dictum, 166. 167. prandii hora. 168
Priſci cornibus Boum potabant. 365. 401
Provincialis quidam ut per fallaciam convi-

vio Caligulæ intereſſet ducenta ſeſtertia vocatoribus numeravit. 92
Propinare quid ſit. 329.330.
Puellæ & pueri miniſtri conviviorum. 19.68. eorum ordo in miniſtrando. 72
Puerorum miniſtrantium veſtitus.19.95. pueri nobiles Romanorum ſedentes cenabant. 5.252.
Pulvini tricliniares, 18. & 234. pulvini unde dicti, ibid.
Pultifagus Romanus. 316

Q.

QUadræ & orbes pro menſis. 25.26
Quinti Flaminini facinus inter epulas. 50.

R.

REcumbere apud Euangeliſtas cur dictum. 102.
Reliquiæ convivii quibus dividebantur. 380. 381.
Repoſitoria quæ eſſent. 288
Rex vini. 71. 338
Romani bibebant in ſalutem Imperatoris, & amicorum abſentium. 326. 327
Romani bibebant à ſummo ad infimum & inter potandum, prægustatum poculum amicis porrigebant. 328. 329
Romani priſci ſedentes cenabant in atriis. 3. 244. eorum quoque uxores. 5. 245. poſtea accubantes cenarunt. ibid. pedes lavabant ante convivium. 39. veſtem convivalem ſumebant. 243. ſoleas deponebant. 41.240. manus lavabant ante & poſt cenam. 42. 93. 308.

308. non accumbebant atrati. 40. 240. unguentis barbam & caput ungebant. 43. quem locum honoratiorem exiſtimabant. 44. cenantes primò proni diſcumbebant, poſtea in cubitum repoſiti, deinde ſupini 51. 249. pulte pro pane uſi ſunt. 316. tæniis & faſciis frontem vincire ſolebant ad impediendam ebrietatem. 258
Romani accubantes loqui volentes in latera verſus auditores vertebantur. 391
Romana plebs ubi lavaretur. 126
Roſis & floribus triclinia ſtrata. 267

S.

SAcerdotum Romanorum accubantium ordo. 47
Salinum in conviviis, & ejus uſus. 276
Salve & Vale, ſalutationes differentes. 237
Salvete apud Apuleium quid. 371
Scabellum, ſcamnum, & gradus, ut differant. 13
Scimpodia quæ. 10. 208
Sculna quid. 186
Scurræ menſis adſtabant. 82
Scyphi veterum ſtupendi pretii. 34
Senatorius cenſus qualis. 23. 24
De Senecæ loco conjectura. 24
Servi à pedibus. 69. 224. ſervi unctores. 136. ſervi lectiſterniatores. 202. Mediaſtini. ibid.
Sigma quid. 254. quot diſcumbentes caperet. 256. expreſſum de marmore. 257
Sigma littera Græca arcui ſimilis. 255
Silatum quid. 162
Siſtrum. 374

Smegma

Smegma quid. 372
Spectacula jucunda in conviviis. 34
Spondæ pro accubitis. 221
Spongiæ loco ſtrigilum. 152
Sportulæ quid. 174. 175
Stibadium antiquum depictum in codice Virgilii Vaticano & expreſſum à marmore. 13
Stibadium quod & ſigma quid. 12. 226
Stragulum unde dictum. 230
Stragulæ veſtes. 16
Strategus quis. 339
Strigiles balneorum. 146. 147
Structor miniſter convivii. 344. ejus officium ibid.
Superſtitiones antiquorum in conviviis. 145
Sybaritici populi ſordibus omnigenis olim deditiſſimi. 430
Syriaca lingua quando in Judæam introducta. 432.
Syracuſani bis in die cibis impleti. 386

T.

Tacitus auroclavatis veſtibus & mantilibus interdixit. 304. balneis rarò utebatur. 125
Talorum luſus inter convivas. 174. & ſeq.
Tapetia majori ex parte textili opere apud antiquos, & purpurea erant. 17
Terreſtris cena apud Plautum quæ ſit. 189
Teſtus quid, & teſtaceus panis. 317
Theatra croco & balſamo ſparſa. 268
Thericlea vaſa. 37. 38
Thermopolium quid. 336
Thraces cornibus boum potabant. 365

Tiberius Imperator prandium populo mille menſis dedit. 90
Tibicines in conviviis. 372.374
Tintinnabulum balneorum apud Fulvium Urſinum. 130
Toral quid. 15. unde dictum. 15.230
Toreumata quæ & quanti vendita. 37.38
Tori unde dicti. 15.230
Tragœdiæ in conviviis agebantur. 74
Triclinium pro cenaculo & unde dictum 3. & 202. pro lecto. 101. in quâ parte domus eſſet. 209.210
Triclinium Patavinum expreſſum. 111.402
Triclinium ſeu biclinium Farneſianæ Bibliothecæ. 293
Triclinia ærata Romam quis primus invexerit. 9.228. quo in loco cenationum ſternerentur. 69
Triclinia in medio cenationum ſternebantur. 69.
Tricliniares lecti & diſcubitorii à cubicularibus differunt. 6. ex quâ materiâ fierent. 7. eorum forma. 11. in eodem triclinio pares erant & materiâ & figurâ & altitudine. ibid.
Tripatinum quid. 355
Tympanum quid. 374
V.
Vaſa menſæ vinariæ & eſcariæ. 350. Vaſa vinaria primùm lignea, poſtremò aurea & argentea apud Romanos. 360. quæ vaſa exponerentur in abacis. 30.31
Vela ad excipiendum pulverem ne ſuper menſas ſpargeretur. 400

Venetus color & vitreus idem. 231
Ventum facere flabello in conviviis. 274
Vera Triclinii Patavini ſeu marmoris Rhamnuſiani figura. 402
Veſperna apud veteres quid. 167. 170
Veſtis cenatoria. 39. 237
Veterum parſimonia. 193
Veterum varia inſtrumenta harmonica expreſſa. 374
Vina in conviviis generoſiſſima. 65
Vini uſus apud Romanos. 318. vini mixtiones ad Muſicæ conſonantias. ibid. ejus mixtiones variæ. 320. & 321. refrigerabatur. 322. 333. vinum ſacco frangere quid. 332. vini vetuſtas notabilis. 69
Vitellii patina. 60
Vitrea pocula quando primùm in uſu. 361
Vitreus Priapus. 366
Umbræ in conviviis quæ. 250
Unctio poſt lavationem & ante. 132. 134
Unctorium quid. 136
Unctores in antiquis inſcriptionibus. ibid.
Unguenta unicuique corporis parti idónea. 260.
Unguentaria vaſa. 269. 272
Vocatores. 92. 396
Uſus lavandi & ungendi apud veteres. 123.

Z.

Zeta pro cenatione unde dicta. 219

FINIS.